

ari ab essentia, ut calor ab igne, sicut contingit in fornace Babylonica; ponderatio a gravi, ut quando Christus ambulavit super aquas; in quo casu corpus individeretur non a quantitate actualiter signante, sed per ordinem ad illam. Sed de his Physici; neque enim negamus, corpus Christi in Eucharistia habere quantitatem. Unde, omnia Maj. D. Min. Corpus Christi in Eucharistia foret sine quantitate quoad primarium ejus effectum, N. quoad secundarium ejus effectum, C. Primarius effectus quantitatis est extensio, & coordinatio partium in ordine ad se & in toto. Secundarius est extensio, & coordinatio partium in ordine ad locum: prius est enim quantitatem extendi in se, quam extendi in loco, quam esse impenetrabilem, divisibilem, &c. Unde querenti, cur quantitas sit extensa in loco, cur sit impenetrabilis, &c. recte responderetur, quia est extensa in se. Querenti vero, cur sit extensa in se; nulla est ratio prior, quam quia est quantitas. Porro potest effectus secundarius quantitatis divinitus ab ipsa separari, probr de facto separatus est, quando Christus exivit ex utero virginali clauso, & de sepulchro non revoluto lapide: item, quando intravit ad Discipulos januis clausis. Et ita separatur in Eucharistia.

Instr. 1. Corpus non potest esse sine figura: ergo, nec sine quantitate extensa localiter. R. D. Ant. Corpus non potest esse sine figura, sumpta pro ordinatione partium in ordine ad locum. N. sine figura, sumpta pro coordinatione partium in se & in toto. C. Ut hoc sensu corpus Christi est figuratum in Eucharistia, caput enim non est collum, & est extra collum in ordine ad se. Eodem sensu manus non est pes, brachia sunt extra humeros, &c. Hic iterum per rationem corrigatur imaginatio, quae non transcendit continuum.

Instr. 2. Spiritus non potest divinitus esse extensivè localiter: ergo nec corpus potest esse inextensivè, & indivisibiliter. R. N. Conseq. Disparitas est, quod spiritus non habeat, nec habere possit partes, secundum quas localiter extendatur. At corpus potest privari partibus integritatis localiter extensis; quia hoc est effectus secundarius quantitatis, qui potest divinitus impediri.

Obj. 3. Dogma praesentiae realis multa, & gravia inconvenientia Christo indigna continent; ut quod Christus manducetur, dentibus teratur, in ventrem, & secessum habeat, a muribus corrodat, putrescat, in loca sordida cadat, &c. R. simili argumento posse cum Ethnicis, & Judaeis negari, Mysterium Incarnationis. Dicebant enim, pariter esse Deo indignum in utero mulieris portari, in cuius vagire, esurire, flagellari, crucifigi, mori. Unde Apost. 1. Cor. 1. dicit: *Nos praedicamus Christum crucifixum: Judaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam*; at statim subiungit: *ipsis autem vocatis Judaeis atque Graecis, Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam*. Sicut ergo haec Ethnicorum, & Judaeorum argumenta nihil probant contra veritatem Incarnationis; sic nec similia Sacramentorum argumenta quidquam probant contra veritatem corporis Christi in Eucharistia: quia, sicut in Incarnatione non ipsa Divinitas portatur in utero, nascitur, esurit, crucifigitur, moritur, sed humanitas; sic non corpus Christi gloriosum, & impassibile modo indivisibile existens in Eucharistia, teritur dentibus, alteratur, corrumpitur, in ventrem, & secessum abit, corroditur a muribus, cadit in loca sordida, &c. sed solae species panis, & vini, sub quibus continetur, quandiu permanent. Haec non ignorant Haeretici, sed amant fingere monstra, quae oppugnent, & quibus mulierculas terreat.

Obj. 4. Praesentia realis est invidiosa: ergo. Prob. Ant. Deus per solum signum corporis Christi posset aequè nos nutrire spiritaliter sicut per corpus praesens Patet in aliis Sacramentis, quae, cum sint tantum signa, conferunt tamen gratiam: ergo. R. 1. Quis tu, o mortalium ingrattissime! qui infinite Dei charitati erga nos terminos constituis? dic sodes pari ratiocinio, inutilis fuit Incarnatio, Passio, Mors Christi, superflua Sacramenta; quia Deus sine illis potuit nobis praestare, quod per illa praestat. Potuit sanè, sed ex immensa charitate noluit. Unde scimus noluisse, quia dixit. Ita nec verecunderis dicere de praesentia reali sui corporis: *Cum enim dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos, se ipsum illis dando in cibum, & potum: Cum enim suum in nos amorem* (inquit Chrysost. hom. 45. in Joann.) *vellet indicare, per corpus suum se miscuit nobis, & in unum nobiscum redegit, ut corpus suum (mysticum) cum capite uniretur; hoc enim amantium maximè est.*

R. 2. N. Ant. Sunt enim variae utilitates praesentiae realis. 1. Sicut est signum, & effectus ardentissimi Christi in nos amoris, ita est maximum incentivum nostri in ipsum amoris; praesertim cum longe aliter afficiamur ad rem praesentem quam ad absentem. (Hic q. 75. a. 1. o.) Huic infirmitati erga nos charitatem competeat, ut sua praesentia nos non devitaret in hac peregrinatione. (Ibid.) 2. Per hanc praesentiam servantur leges amicitiae; amicum enim est convivere. 4. Est immortalitatis, & incorruptionis signum, & sigillum carni nostrae impressum ut superius diximus. 5. Christus praesens multa confert, quae

non conferret absens, etsi posset; sicut sanabat omnes, qui ipsum tangebant, non sanaturus, si non tetigisset. (Ibid.) 6. Indè perficitur fides nostra, quae per hoc Mysterium non solum est de divinitate, sed etiam de humanitate, ut dictum est supra §. 7. Articuli praeced.

Instr. 1. Qui sola fide manducat Christum, fructum Passionis ejus percipit; qui vero sine fide realitèr manducat, nullum fructum percipit: ergo inutilis est manducatio realis. R. N. Conseq. Quia, qui cum fide realitèr manducat, plus percipit, quam si sola fide manducaret; sicut B. Virgo plus gratiae percipit concipiendo Christum corpore & fide, quam si sola fide concepisset. Vide Aug. Tract. 27. in Joann. laudatum §. 1. hujus artic.

Instr. 2. Praesentia realis Christi impedit praesentiam ejus spirituales, & receptionem Spiritus S. juxta illud Joann. 16. *Expediit, ut ego vadam: si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos*: ergo. R. D. Ant. (Ibid. ad 4.) Praesentia realis sacramentalis impedit, &c. N. praesentia realis, qua humano modo inter homines conversabatur, C. De hac enim praesentia loquitur Christus loco citato. Haec erat impedimento, ne Apostoli reciperent plenitudinem Spiritus S. non quidem secundum se, sed partim quia divinitus decretum erat eam plenitudinem non esse dandam nisi post Mortem, Resurrectionem, & Ascensionem Christi, ut scilicet Christus devicta morte triumphans illam daret; partim quia Apostoli tunc nondum satis dignam de suo domino existimationem habebant, humano adhuc more ipsam diligentes. Ita Sylvius ex Cyrillo, Theophilacto, Aug. in c. 16. Joann. Gregor. libr. 2. Dialog. c. 38. & S. Leone serm. 1. de Ascensione Domini.

Obijciunt insuper, accidentia panis, & vini remanere in hoc Sacramento, ut testantur sensus; haec autem non posse existere sine suo subjecto, quod est panis, & vinum. Item, haec accidentia nutrire, corrumpi, & ex earum corruptione alias substantias generari; quae simplicibus accidentibus non competunt, sed propria sunt substantiarum. Sed de his, quae proprie spectant impanationem, dicemus infra.

ARTICULUS V.

De Transubstantiatione.

PROBATA contra Sacramentarios veritate realis praesentiae Christi in Eucharistia, nunc decertandum est cum his, qui contendunt simul remanere panem, & vinum, & qui ideo vulgò dicuntur *Impanatores*: quavis, qui accuratius loquantur, distinguant inter *Impanatores*, & *Consubstantiatores*.

*Impanatores* dicuntur, qui docent Verbum sibi assumere hypostaticè panem, & vinum in Eucharistia, sicut assumpsit in Incarnatione. Hunc errorem Guimundus circa ann. 1070. libr. de veritate corporis, & sanguinis Christi tribuit quibusdam Berengarii Discipulis. Algerus initio 12. saeculi testatur, quosdam etiam suo tempore idem docuisse. Bellarminus libr. 3. de Sacram. c. 11. eundem errorem tribuit Ruperto Abbati, quem tamen alii ab illo vindicant. Thom. Waldensis Tom. 2. de Sacram. c. 65. refert, quemdam Joannem Parisiensem docuisse Verbum assumere hypostaticè panem in Eucharistia, non immediate, sed mediante parte humanitatis, scilicet corpore suo, ne cogereetur admittere Deum esse panem. Ex discipulis Lutheri solus Osiander impanationem tenuit. *Consubstantiatores* dicuntur, qui volunt panem in Eucharistia conjungi corpori Christi, sed absquè unione hypostatica: ita communiter Lutherani post Lutherum, quamvis iste Haereticus in hoc errore asserendo non ita constans fuerit. Hos praecesserunt quidam Discipuli Berengarii, teste Guimundo supra cit. Durandus in 4. d. 11. q. 3. docet, formam panis converti quidem in corpus Christi, sed remanere materiam, quae post consecrationem fit materia corporis Christi, sicut fit in transmutationibus naturalibus. Hanc sententiam quidam rejiciunt ut haereticam, saltim nunc postquam Trid. expressè definivit sess. 13. Can. 2. *Fieri conversionem totius substantiae panis in corpus, & totius substantiae vini in sanguinem Christi*. Refert S. Th. hic a. 6. quosdam e contra suo tempore sustinuisse formam substantialem panis remanere, & non sola accidentia: contra quo omnes cum Ecclesia Catholica.

Dico. (Hic q. 75. a. 2. & 4. o.) In Eucharistia non remanent substantia panis, & vini, sed vi verborum consecrationis fit vera transubstantiatio, seu conversio totius substantiae panis in corpus, & totius substantiae vini in sanguinem Christi. Prob. 1. ex Definitionibus Ecclesiae in Conciliis. Concilium Romanum sub Greg. VII. ann. 1079. definit, *Panem, & vinum substantiè converti in corpus, & sanguinem Christi*. Conc. Lateran. 4. sub Innocent. III. ann. 1215. cap. *Firmiter, Credimus*, inquit, *ac confitemur, corpus, & sanguinem Christi sub speciebus panis, & vini veracitèr contineri, transubstantiatis pane in corpus, & vino in sanguinem, potestate divina*. Conc. Constantiense ann. 1418. sess. 8. dam-

damnat articulum Wiclefi dicentis, substantiam panis, & vini manere in Sacramento altaris. Concil. Florent. in Decreto unionis dicit: *Verborum Christi virtute substantia panis in corpus Christi, & substantia vini in sanguinem convertuntur*. Concil. Trid. sess. 13. c. 4. sed apertissime, & decretoriè Can. 2. his verbis: *Si quis dixerit, in sacrosanto Eucharistiae Sacramento remanere substantiam panis, & vini una cum corpore, & sanguine Domini nostri Jesu Christi; negaveritque mirabile illam, & singularem conversionem totius substantiae panis in corpus, & totius substantiae vini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis, & vini; quam quidem conversionem Catholica Ecclesia aptissime Transubstantiationem appellat; anathema sit*.

Prob. 2. ex Patribus, quos supra laudavimus pro asserenda praesentia reali. Qui enim dicunt 1. in Eucharistia non esse panem communem, sed corpus Christi verum, quod natum est de Virgine Maria. 2. Christum de pane efficere corpus suum; post verba Consecrationis non appere substantiam panis, licet aliter sensus judicent, ideoque illis non esse fidendum; hi, inquam, pro certo agnoscunt Transubstantiationem; atqui haec dixerunt Patres supra laudati. Consume corum textus art. 3. ergo.

Paucos itaque hic referam, qui expressè illam conversionem asseruerunt. S. Cyrillus Jerosol. Catechesi Mitag. *Aquam, inquit, aliquando mutavit in vinum, quod est sanguis propinquum; & non erit dignus cui credamus, quod vinum in sanguinem transmutasset?* S. Ambros. de initiandis c. 9. *Si tantum valuit sermo Elie, ut ignem de caelo deponeret, non valebit Christi sermo, ut species mutet elementorum.* & qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea, quae sunt, in id mutare, quod non erat? Et l. 4. de Sacram. c. 4. *Panis iste panis est ante verba Sacramentorum: ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi*. Vide locum integrum a. 3. Chrysost. hom. 83. in Matth. *Qui haec dona sanctificat, & transmutat, ipse est, nempe Christus*. S. Greg. Nyss. Orat. Cateches. c. 37. *Panis statim per verbum transmutatur, sicut dictum est a Verbo: hoc est Corpus meum*. S. Joann. Damas. l. 4. Orthodoxae fidei c. 13. *Panis ipse, & vinum in corpus, & sanguinem Dei transmutatur. Si queras, quomodo pacto istud fiat; sat tibi audire, hoc fieri per Spiritum S. Vide locum integrum loco cit.*

Sed difficultas est, utrum id probari possit ex verbis Consecrationis? Id negant, non solum Lutherani, sed quidam Catholici, inter quos numeratur Scotus, qui, quamvis Transubstantiationem agnoscat, volunt tamen eam non nisi ex definitionibus Ecclesiae, & non ex Scriptura posse probari. Contra quos,

Prob. 3. (Ibid.) Concl. ex verbis Consecrationis. Si verbis Consecrationis prolatis remaneret substantia panis, falsò diceretur: *Hoc est Corpus meum*; sed dicendum foret: *Hic est corpus meum*: ergo. Prob. Ant. Si verbis consecrationis prolatis remaneret substantia panis cum corpore Christi, haec demonstraretur per pronomen *Hoc*; atqui falsum est, panem, seu substantiam panis esse corpus Christi: ergo. Prob. Maj. Quando dicitur substantia sunt in eodem loco, una sensibilis per propria accidentia, altera latens, & insensibilis sub istis accidentibus, quae neque ex natura sua, neque ex usu destinata sunt, ut hanc substantiam latentem continant, qui demonstrant contentum sub istis accidentibus, non designat substantiam latentem, sed visibilem, & sensibilem per propria accidentia. Sic, qui haberet panem, in quo lateret nummus aureus, non rectè diceret demonstrando panem, hoc est aurum: ergo.

Concl. Concil. Trid. ex verbis Consecrationis infert Transubstantiationem; dicit enim: *Quantum Christus Redemptor noster corpus suum id, quod sub specie panis offerebat, verè esse dixit; idèd persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, idque nunc denudè haec S. Synodus declarat, per consecrationem panis, & vini conversionem fieri totius substantiae panis in substantiam corporis Christi Domini nostri, & totius substantiae vini in substantiam sanguinis ejus; quae conversio convenienter, & propriè à sancta Catholica Ecclesia Transubstantiatio est appellata*. Hinc non videtur, nunc posse tuto sustineri contrarium.

Colliges 1. ex his, non solum excludi consubstantiationem, sed etiam impanationem: si enim non remaneret substantia panis, sed tota converteretur in substantiam Christi, manifestum est, quod Verbum non assumat sibi hypostaticè panem. Sed id specialius adhuc demonstratur sequentibus momentis. 1. Quia haec impanatio, seu unio hypostatica Verbi cum pane est merum figmentum, nullum habens fundamentum neque in Scripturis, neque in Traditione, neque in Definitionibus Ecclesiae; estque inauditum, quod Verbum toties assumat hypostaticè panem, quoties consecratur hostia; & toties dimittat, quoties corrumpuntur species, contra commune adagium in Theologia receptum: *Quod Christus nunquam dimisit, quod semel assumpsit*. 2. Do pane Eucharistico dicitur Joann. 6. *Panis, quem ego dabo, caro mea est*; atqui panis hypostaticè assumptus, et si possit dici corpus Christi, non tamen esset caro Christi: ergo. 3. Etiam supposita unione hypostatica Verbi ad panem,

non verificarentur haec verba: *Hoc est corpus meum*; quia vel intelliguntur de corpore panaceo, vel de corpore carneo. Non de corpore panaceo; quia subiungit Evangelista: *Quod pro vobis tradetur*: non autem corpus panaceum, sed carneum fuit pro nobis traditum. Non de corpore carneo; quia, quando duo uniantur in uno supposito, licet utrumque praedicetur de supposito, ut homo est Deus, Deus est homo, id est, suppositum habens humanitatem est Deus, & suppositum habens divinitatem est homo, quod verum est; neutrum tamen praedicatur de altero: sic, licet Verbum assumpsit corpus, & animam, non potest dici, quod anima sit corpus, & è contra. Ergo similiter non potest etiam in hac hypotesi dici: hoc seu panis est corpus Christi carneum.

Colliges 2. Non remanere materiam panis, & vini informatam anima rationali Christi, neque formam, sola materia conversa in corpus Christi, neque subsistentiam, & existentiam panis; quia Trid. definit, fieri conversionem totius substantiae panis in corpus, & totius substantiae vini in sanguinem Christi, manentibus dumtaxat accidentibus panis, & vini.

ARTICULUS VI.

Solvuntur objectiones.

Objectiones petuntur ex triplici capite. 1. Ex SS. Patribus. 2. Ex accidentibus remanentibus. 3. Ex insufficienti probationis, desumptae ex verbis Consecrationis.

§. I. Solvuntur objectiones ex Patribus.

Obj. 1. Eucharistiam saepe, tum in Scriptura, cum in Patribus, vocari panem. At ita vocari partim ratione accidentium panis, partim quia ex pane fit, exposuimus supra art. 4. §. 2. Regula 2. Vide.

Obj. 2. Quidam SS. Patres docent expressè, remanere naturam, & substantiam panis in Eucharistia, utique uniri corpori Christi, sicut natura divina, & humana uniantur in Incarnatione. Sic Chrysost. Ep. ad Casarium Monachum, in impugnans Synostias, seu Apollinaristas, Eutychianorum praecursores, asserentes in Christo commixtionem naturarum, probat Christum esse unum filium, unam personam, etsi naturae in eo non sint permixtae, & utraque retineat suas proprietates; ad quod probandum utitur exemplo Eucharistiae; & dicit: *Sicut, antequam sanctificetur panis, panem nominamus, divina autem illum sanctificante gratia, mediante Sacerdote, liberatus est quidem ab appellatione panis, dignus autem habitus est Domini corporis appellatione, etiam si natura panis in ipso permansit, & non duo corpora, sed unum corpus filii praedicatur; sic & divina inundante corpori natura, unum filium, unam personam utraque haec fecerunt*. Theodoretus Dial. 2. qui inscribitur *Inconclusus*, eodem modo loquitur: *Neque enim, inquit, symbola mystica post sanctificationem a sua natura recedunt, manent enim in prioribus substantia, & figura, & forma, & videri tangique possunt, sicut & prius*. Gelasius Papa, qui obiit ann. 496. libr. de duabus naturis in Christo adversus Eutychianos dicit pariter: *Certa Sacramenta, quae sumimus, corporis, & sanguinis Christi, divina res est; propter quod, & per eadem divina efficiuntur consortes naturae; & tamen esse non desinit substantia, vel natura panis, & vini*; ergo.

Respondent quidam cum Card. Perronio verba Theodoretii non accurate reddi ab interprete e Graeco in Latinum, nec debuisse vertere: *Manent in priori substantia figura, & forma*. Sed manent in prioribus substantia forma, & figura; quod probat ex Graeco. Quantum ad Gelasium, multi contendunt hunc libellum de duabus naturis non esse Gelasii Papae. 1. Quia, teste Gennadio, & Honorio Augustodunensi, opus Gelasii est grande volumen, cum opus, unde argumentum eruitur, sit libellus effugus. 2. Quia Auctor hujus libelli laudat inter Ecclesiae Patres Eusebium Arianorum partibus addictum, cuius Scriptura declaravit apocrypha ipse Gelasius. 3. Quia hunc libellum primum ediderunt Lutherani ann. 1527. ex codice mendoso, quemque suis additamentis amplius, ut verisimile est, adulteraverunt. Plures aliae suppositionis rationes vide apud Cano de locis Theol. l. 6. c. ultimo, & Bellarm. l. de Script. Eccl. in Gelasio. Praemissis itaque his Responsionibus.

R. Laudatos Patres per naturam, & substantiam panis intelligere dumtaxat accidentia, & proprietates panis, quibus ejus natura, & substantia dignoscitur; frequens namque est apud SS. Patres, ut his vocabulis, *natura, substantia*, intelligant non substantiam propriè dictam, sed congeriem accidentium, quibus una res dignoscitur, & ab alia secundum vulgus distinguitur. Sic ipse Chrysost. hom. 12. in Genes. de igne fornacis Babylonicae dicit: *Domini, prout vult, unumquodque elementorum in contrariam veritèr substantiam*. Et Hom. 4. ad Pop.



Pop. Antioch. *Pietas juvenum rerum naturam mutavit.* Ceterò tamen constat, non naturam, aut substantiam ignis mutata fuisse, sed proprietates solum, & accidentia. Theodoretus laudato Dialogo de humore, & fluiditate, quæ sunt proprietates aquæ, & non ejus substantia, seu natura, dicit *Affines naturas misceri.* Ambros. in Hexam. l. 3. c. 2. & de Myst. c. 9. dicit *Naturas mutatas fuisse, quando à petra aqua fluxit, & ferrum aqua supernavit.* Non est ergo mirum, si Patres in objectione laudati per naturam, & substantiam panis ea accidentia, & proprietates intellexerunt, quibus perceptis quilibet panem intelligit. Et ita reverè intellexisse constat: nam Chrysost. dicit: *ibi. Non duo corpora, sed unum corpus filii predicatur; si autem remaneret vera substantia panis, qualis erat antea, nihil prohiberet predicari duo corpora in Eucharistia, cum re ipsa essent duo, nempe corpus Christi, & panis.* Theodoretus similiter loco cit. explicat, quid intelligat nomine substantiæ dicens: *Illud ergo corpus priorem habet formam, figuram, & circumscriptionem, quæ sunt corporis accidentia; & ibid. aperte docet Transsubstantiationem immediatè post verba objecta subjungens: Intelliguntur autem ea, quæ facta sunt, & creduntur, & adorantur, ut quæ illa sint, quæ credantur, id est mutata in verum corpus, & tantummodo: aliis enim non possunt esse objectum fidei, & adorationis nostræ.* Item ibid. approbat istud dictum Eranistæ, seu Eutylichiani: *Symbola Domini corporis, & sanguinis alia quidem sunt ante Sacerdotis invocationem, post invocationem verò mutantur, & alia fiunt.* In hoc ergo solum stat comparatio, quam faciunt Patres inter Incarnationem, & Eucharistiam contra Apollinaristas, & Eutylichianos; quòd, sicut in Eucharistia sunt duæ naturæ, scilicet accidentia panis, & corpus Christi, & tamen unicum corpus; ita in Christo sunt duæ naturæ inconfusæ cum suis proprietatibus, & tamen una persona.

Inst. 1. Chrysost. intendit probare contra Synouiasistas, seu Apollinaristas, duas naturas manere in Christo inconfusas, quia in Eucharistia remanent duo corpora scilicet panis, & Christi impermixta; atqui istud argumentum nihil probaret, si per substantiam panis intelligat mera accidentia, & non corpus materiale: ergo R. N. Maj. Expressè enim dicit Chrysost. non esse duo corpora in Eucharistia. Itaque Synouiasistæ Eutylichianismi præcursoribus dicebant, Verbum habere carnem sibi coeternam, & consubstantiali, sine tamen circumscriptione, anima, mente, & aliis proprietatibus nostræ carnis; eas autem in tempore assumptis similitudinariè, & apparenter, divinitatemque illi fuisse loco animæ, & mentis, & sub illa similitudine ac phantasmate cum hominibus fuisse conversatum, passum, mortuum. Post Ascensionem verò, iterum circumscriptionem exteriusque carnis nostræ proprietates exuisse; quia arbitrabantur, ex duabus naturis veris cum propriis agendi principiis, & proprietatibus inconfusis resultare duas personas. Hos igitur impugnans Chrysost. dicit in Christo fuisse veram naturam humanam nostræ similem cum omnibus suis proprietatibus, circumscriptione, principiis intelligendi, volendi, &c. neque ex his accidentibus, & principiis agendi diversis magis tollit unitatem personæ in Christo, quam tollatur unitas corporis Christi in Eucharistia ex hoc, quod accidentia panis cum corpore in ea remaneant impermixta: & ibi, ut jam dixi, sistit paritas, neque enim est necesse, ut exempli ex omni parte conveniant rei, de qua agitur. Imò, si, ut volunt objicientes, Chrysost. asseruisset, remanere veram substantiam panis cum corpore Christi, inde arguissent Synouiasistæ non esse in Christo unam personam, sicut in Eucharistia caro Christi, & substantia panis non sunt unum corpus; sicque S. Doctor oppugnans Synouiasistas præformasset Nestorianismum.

Inst. 2. Theodoretus, seu Orthodoxus in laudato Dialogo Eranistæ, seu Eutylichiano, dicenti corpus Christi post Ascensionem in Divinitatem mutatum esse, sicut Symbola Domini corporis post Sacerdotis invocationem mutantur, responderet, *Retibus, quæ ipse texuisti, captus es; neque enim Symbola mystica post sanctificationem recedunt à sua natura, remanent enim in priore substantia, figura, & forma, & videntur, tanquam possunt, sicut prius;* atqui secundum nos Symbola mystica panis recedunt à sua natura, nec remanent prior substantia: ergo secundum nos Eranistes suis rebus non capitur. R. N. Min. Secundum nos enim mystica Symbola, id est, accidentia, non recedunt à sua natura accidentis scilicet, & remanent prior substantia quoad apparentiam, quatenus remanet congeries proprietatum, quibus substantia exterioris apparet, & dignoscitur, ut dictum est; sicque Eranistes suis rebus capitur; quia intendebat carnem Christi post Ascensionem absorptam esse à Divinitate non secundum se, quippe quæ, juxta istos Eutylichianos, Divinitati erat coeterna, & consubstantialis, sed quoad carnis proprietates, circumscriptionem scilicet, & alias quas in Incarnatione similitudinariè assumpserat. Cum ergo dicit, naturam humanam quoad suas proprietates post Ascensionem in Divinitatem esse mutata, sicut mystica Symbola

in Eucharistia mutantur in corpus Christi, verè suis rebus capitur, si quidem panis secundum sua accidentia non absorbeat per corpus Christi in Eucharistia. De Ruperto jam dixi à quibusdam Impanationis accusari, ab aliis excusari: contra ipsum vide, si lubet, Bellarm. l. 3. de Sacram. c. 11. pro ipso Contenson hic l. 11. p. 2. Diss. 1. c. 1. speculat. 2. & Tournely hic q. 3. a. 3.

Obj. 3. Hoc nomen *Transsubstantiatio* est novum, & ante Concilium Lateran. 4. sub Innocentio III. ann. 1215. inauditum. Ergo rejiciendum. R. 1. N. Ant. Hoc enim nomine legitur in Ep. 140. Petri Blesensis circa ann. 1160. Item in antiqua professione Fidei Tolosanorum Hæreticorum apud Baronium ad annum 1278. Item in Epist. Goffredi ad Cardinalem Albanensem apud eundem Baronium ad ann. 1188. R. 2. Dato Ant. N. Cons. Habet enim Ecclesia potestatem instituendi novas voces, quando eas judicat necessarias ad meliùs exprimentum Dogma Catholicum, & efficacius occurrendum tergiversationibus Hæreticorum. Sic contra Arianos usurpavit vocem *Omoios*, contra Nestorianos *Theotocos*, & alias similia.

§. II. Solvuntur objectiones ex accidentibus remanentibus, & simul impugnatur Cartesianismus.

Obj. 1. Accidentia non possunt esse sine suo subjecto; atqui accidentia panis, & vini remanent in Eucharistia: ergo remanent substantia panis, & vini. Hinc argumentum (*Ille q. 77. art. 1. o.*) variè variè respondent. Quidam dicunt hæc accidentia esse in aëre circumstanto, tanquam in subjecto. At id non potest dici, 1. Quia hujusmodi accidentia aër non est susceptivus. 2. Quia hæc accidentia non sunt ubi est aër, quia imò ad motum illorum depellitur aër. 3. Quia accidentia non transeunt de subjecto in subjectum, accidens enim accipit numerum a subjecto; unde non potest esse, quòd idem numero accidens modò sit in uno, modo in altero subjecto. 4. Quia, cum aër non spoliatur accidentibus propriis, simul haberet accidentia propria, & aliena. Nec dici potest, quòd hoc fiat miraculo, virtute consecrationis, quia verba Consecrationis hoc non significant, quæ tamen non efficiunt nisi suum significatum.

Alii (*ib.*) dixerunt, hæc accidentia esse in subjecto in corpore Christi. Sed neque id dici potest; quia substantia humani corporis nullo modo potest his accidentibus affici; neque etiam est possibile, quòd corpus Christi gloriosum, & impassibile alteretur ad suscipiendas hujusmodi qualitates. Adde, quòd deberet esse localitèr extensum, & quòd, ut modò dicebam, accidens non transit de subjecto in subjectum.

Recentiores Philosophi, qui essentiam corporis reponunt in trina extensione locali in longum, latum, & profundum, nullum agnoscunt accidens solidum, & absolutum a corpore distinctum: unde, ut explicent Eucharistiæ mysterium in quo fide certum est non manere substantiam panis, & vini, manere tamen accidentia, seu species illorum, nimirum eandem magnitudinem, eundem colorem, figuram, saporem, &c. non parùm deudant, & in varios dicendi modos abeunt. Duos propono. Quidam dicunt, Deum in sensibus nostris, & in anima easdem impressiones per se ipsum operari ad præsentiam Eucharistiæ, quas operatur panis, & quas operatur, si adesset. Ità P. Magnan. Alii dicunt, remanere quidem accidentia, non tamen sine subjecto, sed in corpore Christi subjectata, non quidem eadem numero, quæ prius erant, sed eadem specie, orta ex diversis præsentibus ejusdem corporis Christi replicati in loco cujuslibet particule panis ultimo sensibilis. Ità Antonius Lengrand, Philosophiæ Professor in Collegio Regio Duaci, in opusculo inscripto, *Concordia fidei, & rationis*, typis Duacensis anno 1711. contra quem scripsi Dissertationem *De mente Ecclesiæ circa accidentia Eucharistiæ* typis Leodiensibus 1714.

In ea Dissertatione, constans esse Dogma in Ecclesia receptum, remanere in Eucharistia accidentia solida absque ullo subjecto substantiali, neque absque temeritatibus nota posse contrarium sustineri, demonstravi. 1. Ex Concilio Constant. in quo sess. 8. damnata est hæc Wiclefi propositio: *Accidentia panis, & vini non remanent sine subjecto in Sacramento Altaris:* cuius contradictoria est ista: *Accidentia panis, & vini manent in Sacramento Altaris, & non manent ibi cum subjecto,* ut ibidem ostendi secundum accuratioris Dialecticæ regulas contra Adversarii sophismata. 2. Ex Concilio Trident. sess. 13. can. 20. ubi definitur, manere dumtaxat species panis, & vini; per quas species intelligi accidentia solida probavi, & mox iterum probabo. 3. Ex Concilio Colonien. p. 17. c. 15. & ex Catech. Romano 2. p. n. 25. ubi istud Dogma expressè, & in terminis asseritur. 4. Ex Patribus Irenæo, Strabone, Alcino, Anselmo, Petro Lombardo, S. Th. & omnibus Theologis ante natum Cartesianismum. Hæc fusiùs deducta in laudata Dissert. potest videre Lector; eam enim ex integro hic exseribere non vacat: pau-

pauca tamen specialia proponam contra utrumque dicendi modum Cartesianorum.

Impugnatur primus dicendi modus Cartesianorum.

Primò de fide est decisum in Concilio Trid. sess. 12. Can. 2. remanere in Eucharistia *Species panis, & vini, & c. 3. ac Can. 3. Totum Christum contineri sub unaquaque specie;* atqui per species non possunt intelligi nisi accidentia absoluta panis, & vini, & non tantum species intentionales, ut vult iste modus: ergo, Prob. Min. Certum est, illas species, quæ secundum Fidem solæ remanent, esse aliquid reale, & non purum nihil; nihil enim non remanet, nec dividitur, nec alicuius rei potest esse species, nec Sacramentum, seu signum sensibile constitutæ: sunt autem aliquid reale se tenens, vel ex parte hostiæ consecratæ, vel ex parte potentie sentientis tantum, hoc est, ut vult iste dicendi modus, solæ species intentionales, seu sensatio in organo excitata a solo Deo ad præsentiam panis Eucharistici; atqui hoc secundum dici non potest: ergo primum, sicque sunt accidentia solida sine subjecto. Prob. Min. multipliciter. 1. Juxta Concilium Christus est præsens sub qualibet specie; atqui absurdum est dicere, Christum esse sub gustu, tactu, visu, &c. ergo. 2. Juxta Fidem, istæ species dividuntur in partes, & separantur per ministrum, quod de speciebus intentionalibus dici non potest. 3. Si nihil reale sensibile remanet ex parte objecti, sequitur, quòd Eucharistia non sit signum sensibile, adeoque nec Sacramentum, præsertim dum hostia consecrata clauditur in pixide; tunc enim nihil est sensibile etiam ex parte sentium. Item, quòd non consistat in re permanente, sed in actione transeunte; species enim intentionales, cum non sint nisi variæ sensuum modificationes, non habent esse permanentes. Unde Christus in pixide clausus non potest esse sub specie panis, cum tunc nulla esset in sensibus modificatio, seu impressio, adeoque nec species. 4. Sequeretur, quod, cum Sacerdos tangit, frangit, manducat, porrigit hostiam, nihil reale tangat, frangat, manducat, porrigat, sed imaginariè tantum, & intentionaliter, non secus, ac somnians eosis imaginariis reficitur, aut dicendum, corpus Christi immediate tangi, frangi, manducari, &c. quod est adhuc magis absurdum, & communi Ecclesiæ sensui contrarium, secundum quem corpus Christi est ibi insensibiliter, & inalterabiliter. 5. Sequeretur, quòd sensus nostri ritè dispositi deciperentur circa proprium objectum debite propositum, quod negat Ecclesiæ in Officio divino; quòd repugnat manifestè rationi, si cut enim impossibile est, quòd noster intellectus intelligat nisi aliquid intelligibile, sic impossibile est, quòd noster oculus videat nisi aliquid visibile.

Impugnatur secundus dicendi modus Cartesianorum.

Juxta illud systema, totum corpus Christi est in qualibet parte hostiæ ultimo sensibilis cum trina extensione locali in longum, latum, & profundum, & cujus præsentis sic multiplicatis resultat eadem accidentia non numero, sed specie, quæ resultabant ex varia dispositione partium panis, sicque ea accidentia subjectantur in corpore Christi, sicut accidentia prioris panis subjectantur in pane. 1. Iste dicendi modus directè contradicit S. Th. supra citato; qui probat, hæc accidentia non posse subjectari in corpore Christi, tunc quia substantia corporis humani non potest affici his accidentibus, tum quia corpus Christi gloriosum, & impassibile non potest alterari ad suscipiendas hujusmodi qualitates. 2. Si accidentia non maneat eadem, sed in alia commutentur, non erit tantum Transsubstantiatio in hoc Sacramento, sed etiam transaccidentatio, quod est inauditum in Ecclesia. 3. Si accidentia, quæ remanent, & sensibus percipiuntur, sint accidentia corporis Christi, & in ipso subjectentur, denominabunt corpus Christi album, durum, rotundum, sapidum, &c. quòd citra blasphemiam dici nequit. Prob. Seq. 1. Ubi est forma, ibi est formalis effectus formæ, & ejus denominatio; atqui effectus formalis horum accidentium est reddere album, rotundum, &c. & ex adversariis hæc accidentia, seu, ut volunt, hi modi sunt in corpore Christi: ergo ipsium efficient, & denominabunt album, durum, &c. Illud dicimus album, durum, &c. quod in omnibus, & semper sensationes albedinis, duritiei, &c. excitat; atqui juxta systema Adversariorum corpus Christi id præstat: ergo idem, quod prius.

Nec hujus Argumenti vim infringunt, dum respondent, idè hæc accidentia non denominare corpus Christi, cò quòd non orientur ex diversa dispositione particularum insensibilium corporis Christi, sicut oriuntur ex diversa dispositione particularum insensibilium panis, sed dumtaxat ex diversis præsentibus totalibus ejusdem corporis pluriùs reproducti: si diversis est,

inquam, hæc responsio, nec vel minimum argumento satisfacit. Etenim impossibile est, formam alicui subjecto inesse, quovis modo insit, & non ei tribuere effectum formalem primum, adeoque & formæ denominationem, cum effectus formalis formæ nihil aliud sit, quam ipsa forma communicata. Id etiam exemplis patet: sic paries non minus verè denominatur albus, quam homo, licet ipsi parieti proveniat albedo ab extrinseco dealbante, homini verò ab intrinseco: sic homo dicitur justus, fidelis, &c. a justitia, fide, &c. non equidem ortis ex diversa dispositione partium animæ, quæ non sunt, nec partium corporis, quia hæc virtutes sunt merè spirituales, sed ab extrinseco supernaturalitèr infusæ. Nec quidquam facit ad rem exemplum, quòd adducunt de Æthiopo reproducto sub velamine albo, qui tamen idè non diceretur albus. Disparitas est enim, quòd illud velamen album non afficeret intrinsece in genere causæ formalis hunc Æthiopem, nec ipsi inhæretet ut accidens, nec tandem ullo modo ab ejus intrinseco procederet, sed foret tantum collocatus sub isto velamine, quasi sub tecto, aut tentorio. At verò accidentia Eucharistica juxta systema positum afficerent intrinsece corpus Christi, ipsi ut subjecto inhererent in genere causæ formalis, & ex ipso, aut saltem ex ejus præsentibus, ut volunt, profluerent.

Insupèr gratis, & falsò asserunt Adversarii, hæc accidentia in pane oriri ex diversa dispositione ejus partium insensibilium. 1. *Gratis.* Nullam enim hujus assertionis rationem afferunt, aut quo microscopio id deprehenderint, non ostendunt. 2. *Falsò.* Quo enim pacto, qua arte fieri, aut concipi potest, insensibile, seu dispositionem partium insensibilium afficere sensibilibus sensus nostros, sicut afficiunt accidentia panis, & aliorum corporum? qui hæc credit, credat paritèr ignem posse refrigerare, & aquam exsiccare; siquidem non major sit repugnantia, quòd ignis refrigeret, & aqua exsiccet, quam quòd insensibile causet sensationem: credat, inquam, apertissimam omnium implicantiã, idem simul posse esse, & non esse; si enim insensibile sentitur, erit profectò simul, & non erit insensibile.

4. Juxta istud systema, & Cartesianorum principia, corpus Christi erit panis; quia secundum ipsos panis nihil est aliud quam materia, quæ hæc, & alia panis accidentia nobis exhibet. Item corpus Christi per propria accidentia, non secus ac panis per sua, immediatè tangetur, frangetur, manducabitur, in ventrem, & in recessum abibit, quòd est Stercorariatum hæreticis. Item movetur localitèr, est sibi simul dextrorsum, & sinistrorsum, simul supra se, & infra se, simul rectus, & inversus, simul quiescit, & movetur; variasque alias antilogias, & absurditates, quæ ex bilocatione circumscriptiva sequuntur subire cogitur hæc sententia. 5. Tandem impossibile videtur, atque intelligibile, quòd corpus Christi localitèr extensum cum omnibus suis membris, & organo in ordine ad locum sit in quantumvis minima parte hostiæ, vix microscopio attingibili, sine ulla constrictione, alteratione, & irreverentia, idque milles in qualibet hostia, toties scilicet, quot sunt particule hostiæ ultimo sensibiles.

Hic ergo dimissis, & explosis, ad argumentum, in initio factum, R. D. Maj. Accidentia non possunt esse sine subjecto naturalitèr, & de lege ordinaria, C. supernaturalitèr, & de lege extraordinaria, N.

Inst. 1. Quod est de essentia alicujus, ab eo divinitus separari non potest, & alteri speciei convenire; atqui inherentia actualis, seu existentia actualis in alio est de essentia accidentis actu existentis, & existentia sine alio de essentia substantiæ actu existentis: ergo, Prob. Min. Illud est de essentia accidentis, & substantiæ, quòd ponitur in eorum definitione; atqui accidens definitur ens alteri inherens, seu in alio existens; substantia ens per se subsistens: ergo, R. N. Min. Ad Prob. Accidens definitur ens alteri inherens actualitèr, N. Min. Ens alteri inherens aptitudinalitèr, C. Min. Similiter substantia definitur ens per se subsistens aptitudinalitèr, & non actualitèr. Ità D. Thom. 3. p. q. 77. art. 1. ad 2. ubi sibi propositum idem argumentum sic solvit. *Non est ergo definitio substantiæ ens per se sine subjecto, nec definitio accidentis ens in subjecto, sed quidditati, seu essentia substantiæ competit habere esse non in subjecto; quidditati, seu essentia accidentis competit habere esse in subjecto in hoc autem Sacramento non datur accidentibus, quòd ex vi sue essentia non sint in subjecto, sed ex divina virtute sustentantur; & idè non desinunt esse accidentia: quia nec separantur ab eis definitio accidentis, quæ est aptitudo ad subjectum, quæ semper manet in eis, non actualis inherentia, nec competit eis definitio substantiæ.* Idem docet in 4. d. 12. q. 1. art. 1. questione. 1. ad 2. & rationem subdit ibid. *Quia esse, seu existere in nulla quidditate creata est intrinsecum (seu essentialitèr) predicatum.* Hoc enim solius Dei est proprium. Si ergo existentia ut sic non sit de essentia entis creati ut sic, ut fusiùs probatur in Metaphysica, bene sequitur, quòd talis vel talis existentia, per se scilicet, vel in alio, non sit de essentia ta-



talis entis in particulari, substantiæ, vel accidentis, sed sola aptitudo ad talem, vel talem existentiam.

Inst. 2. Inherentia actualis est de essentia accidentis actu existentis: ergo. Prob. Ant. Omne, quod actu existit, essentialiter existit in se, vel in alio; atqui accidentis actu existens non existit essentialiter in se, alias nunquam posset existere in alio: ergo essentialiter existit in alio. Prob. Maj. Differentiæ divisiivæ alienius generis conveniunt essentialiter illius speciebus; atqui existentia actualis in se, & existentia actualis in alio sunt duæ differentiæ divisiivæ entis actu existentis, immediatæ, & adæquatè ipsam dividentes, eo quod necesse sit, ut omnis ens actu existens alterutrum habeat: ergo. R. N. Ant. Ad Prob. N. Maj. ad Prob. D. M. Differentiæ essentialis divisiivæ alienius generis conveniunt essentialiter illius speciebus, C. Maj. Differentiæ accidentales, N. Maj. & distincta Min. ad sensum Maj. N. Cons. Dico igitur, existentiam actualem in se, & existentiam actualem in alio esse differentiæ accidentales entis actu existentis, quia ipsum dividunt ratione existentie actualis, quæ, ut jam diximus, non est essentialis, sed accidentalis entis; sicut, si v. gr. divideretur corpus coloratum in album, & nigrum, divisio foret quidem essentialis respectu coloris, accidentalis verò respectu corporis; quia color, ratione cuius fieret hæc divisio, ipsi corpori est accidentalis. Similiter ergo, cum divideretur ens actu existens, in actu existens per se, & actu existens in alio, divisio potest quidem dici essentialis respectu actualis existentie, non verò respectu entis; eum actualis existentia, ratione cuius fit divisio, sit ipsi accidentalis. Porro inherentiam actualem non esse de essentia accidentis actu existentis, quod est fundamentum solutionum nostrarum, constat. 1. Quia existentia actualis ut sic non est de essentia entis creati ut sic, ut jam diximus ex D. Thom. & probatur in Metaphysica: ergo nec existentia actualis determinata, scilicet in alio, seu inherentia actualis, est de essentia entis determinati, scilicet accidentis. Quod est adhuc verius in sententia Thomistarum, qui probant in Metaphysica inherentiam actualem esse modum existentie, & ipsam præsupponere in accidente.

2. Sic se habet inherentia actualis ad accidentis actu existentem, sicut substantia actualis ad substantiam actu existentem; atqui substantia actualis non est de essentia substantie actu existentis, ut patet in Mystero Incarnationis, in quo natura humana spoliatur substantia propria, & subsistit substantia Verbi: ergo. 3. Ideò inherentia actualis est necessaria accidenti, quia, cum sit debilis, & infirmæ naturæ, se solo stare non potest; sed indiget fulcro, & subiecto, a quo tum in genere causæ materialis receptivæ, tum in genere causæ secundæ efficientis dantis esse, sustentetur; atqui Deus potest supplere causalitatem subiecti, non quidem in genere causæ materialis, sed efficientis, & se solo prætere in accidente, quod facit cum subiecto: sicut cum producit hominem, puta Adam, vel alios effectus sine concursu solito causarum secundarum: ergo inherentia actualis non est de essentia accidentis, etiam actu existentis, & ab illo divinitus separari potest. Hinc elegantè quidam recentior: Ostendant (Hæretici) si possint, Creatorem omnipotentem, qui omnia de nihilo condidit, creata non posse sine naturalibus fulcris conservare: fortè creaturarum adminiculo eget conservator Deus, facta ne pereant, qui ipsis adminiculis sustentandi vim contulit.

Inst. 3. Dato, quod inherentia actualis non sit de essentia accidentis, saltem accidentis non potest actu existere sine aliqua inherentia actuali: ergo. Prob. Ant. Substantia non potest actu existere sine aliqua substantia actuali: ergo nec accidentis sine aliqua inherentia actuali. A pari. R. N. Ant. Ad Prob. Transit Ant. & N. Cons. Disparitas est, quod existentia substantiæ præsupponit substantiam; in accidente verò existentia præsupponitur ad inherentiam. Et ratio hujus discriminis est, quia existentia substantiæ est existentia perfecta, & dans primum esse; adeoque non competit nisi toti perfecto, & completo, seu termino, non verò parti, quæ non existit primò, & per se, sed dependenter a toto, quod supponit prius se. Substantia autem completur, perficitur, & terminatur per substantiam, & sic præsupponitur ad existentiam, ita ut remota substantia removeatur etiam existentia substantialis, prout est existentia perfecta, & per se. At verò e contra accidentis non habet existentiam perfectam per se, & totalem, sed imperfectam, & indigentem altero, ut ibi terminetur, & non decidat. Unde potius convenit accidenti talis existentia, quam inherentia, per quam perficitur; per illam enim alteri ininitur, & terminatur; ita, sublato subiecto, cui ininitur accidentis, conservat Deus specialiter concursu, sine ista ininitentia, ipsum esse accidentis, quod antea cum subiecto conservabat. Dixi Transit Ant. Non enim constat apud omnes, & illud negant Cajetanus 3. p. q. 4. art. 2. Philippus a S. Trinitate q. 20. Metaphysicæ art. 4. & potest dici, quod existeret substantia sine substantia saltem positiva.

Inferes: ergo saltem in hoc casu accidentis specialiter Dei be-

neficio fiet substantia. Probat, illatio. Speciali Dei beneficio fiet ens per se existens: ergo substantia, R. N. Illationem: Ad Prob. D. Ant. ut supra. Fiet ens per se existens, remanente semper exigentia naturali subiecti, C. Ant. sine exigentia naturali subiecti, N. Ant. cum enim ex natura sua non sit ens per se existens, sed petens existere in alio, semper haberet inherentiam aptitudinalem ex se ad subiectum, & sic semper remaneret accidentis; substantia enim est ens existens per se ex natura sua, sine tali exigentia subiecti. R. 2. D. idem Ant. Speciali beneficio esset ens per se existens positivè, N. Ant. esset ens per se existens negativè, C. Ant. & N. Cons. Duplicitè igitur dicitur per se existere. 1. Positivè, id est per aliquam formam, seu modum positivum, qualis est substantia, & sic existit substantia. 2. Dicitur existere per se negativè, id est, non existere in alio, sine tamen aliquo modo, seu forma positiva; & sic existit accidentis in Eucharistia separatum, ut dicemus modò.

Repones. Accidentis non potest existere separatum a subiecto, neque per modum positivum, neque per negationem inherentie: ergo. Prob. Ant. pro prima parte; quia talis modus positivus foret, vel substantialis, vel accidentalis: non substantialis, quia nulli substantiæ deberet: non accidentalis, quia modus accidentalis non potest extra subiectum sustentare, & consistere, cum ex se petat subiectum, hoc ipso quòd est accidentalis & positivus, & eadem foret de ipso difficultas, ac de accidente. Prob. secunda Pars, 1. Accidentis existens separatum a substantia est nobilior accidente inherente; atqui, si existat per totam negationem inherentie sine modo superaddito, non erit nobilior: ergo. Prob. Min. Quòd proprietates tollitur ab aliqua essentia, & illi nihil additur, ista res non fit perfectior, sed imperfectior v. gr. si calor auferatur ab igne, & nihil illi adderetur, non esset ignis perfectior, sed imperfectior; atqui saltem juxta Peripateticos, inherentia actualis est proprietates accidentis: ergo. Prob. eadem Pars 1. Substantia non potest existere actu in subiecto per negationem existendi per se: ergo nec accidentis potest existere actu per se per negationem existendi in alio. R. 1. C. Ant. pro prima parte, propter rationes allatas in argumento, licet tamen plures Peripatetici oppositum sentiant; N. pro secunda parte. Ad primam Prob. N. Min. Ad Prob. D. Maj. Quòd aliqua proprietates ab aliqua essentia tollitur, & nihil ei additur, non fit perfectior, si ista proprietates non sit imperfectio, C. Maj. Si ista proprietates sit imperfectio, N. Maj. Jam autem inherentia actualis, dato quòd sit proprietates, est imperfectio, ut potè dependens ab alio, & consequens naturam accidentis, reduplicatè ut infirmam, & imperfectam: unde accidens separatum a subiecto est perfectius per remotionem talis imperfectio, & non per novam perfectionem additam. Insuper, & præcipue dico. 2. Ad Min. hujus Syllogismi, inherentiam actualem, quantum ad actum inherendi non esse proprietatem accidentis, sed actum proprietatis; proprietates autem est ipsa inherentia aptitudinis proxima, sive est inherentia proxima actualis, ut ita dicam, quantum ad habitum, sicut, v. gr. risibilitas quantum ad actualem risum non est proprietates hominis, sed actus tantum proprietatis, sed risibilitas quantum ad habitum, seu radicem est ejus proprietates; nec inde fit homo imperfectior, quando actu non ridet, etsi aliquid positivum isti privationi risu non succedat.

Dices: Dicitur est supra, inherentiam aptitudinalem esse estentiam accidentis: ergo non potest esse ejus proprietates. R. D. Ant. Inherentia aptitudinalis remota, & fundamentalis est essentia accidentis, C. Ant. inherentia aptitudinalis formalis, & proxima est essentia accidentis, N. Ant. & Cons. Essentia igitur accidentis est natura essentialiter imperfecta, & infirma, adeoque respiciens substantiam, & hoc est, quod dicitur inherentia aptitudinalis remota, & fundamentalis, quia ex illa sequitur in accidente quædam potentia, seu aptitudo proxima, & formalis ad inherendum, & hæc est ipsius proprietates, cujus actus est actualis inherentia: & cum definitur accidentis: ens in alio; seu melius, ut diximus supra ex D. Thom. ens, cui debetur esse in alio, ut definitio tradatur essentialiter, debet intelligi de inherentia aptitudinali remota, & fundamentalis: quòd si intelligatur inherentia aptitudinalis proxima, & formalis, erit definitio descriptiva: & sic plerumquæ intelligitur, & traditur, ut magis explicetur dependentia accidentis a substantia. Ad 2. Prob. Ant. supra positam, R. 1. N. Conseq. Quia esse in aliquo per inhesionem importat necessariò quid positivum; at verò esse per se potest concipi, vel positivè pro forma, scilicet pro substantia positiva, vel per negationem essendi in alio: sicut rationalitas v. gr. non potest sumi nisi positivè, irrationalitas verò sumi potest, vel positivè pro forma aliqua, ut in bruto; vel negativè pro mera negatione rationalitatis, ut in nihilo, lapide, &c. Altera disparitas est, quòd existentia substantiæ supponit substantiam, ut diximus; existentia verò accidentis non supponit inherentiam, sed supponitur ad illam.

Urgebis: Minus dependet substantia ab accidentibus, quam ac-

accidentia a substantia; atqui non potest esse substantia sine omni accidente: ergo nec accidentis absquè omni substantia. Prob. Min. Substantia non potest esse sine ubi, & quando juxta illud, *quidquid est, alicubi, & quando est*: ergo substantia, &c. R. N. Min. Ad Prob. D. Ant. Substantia non potest esse sine ubi, & quando fundamentali, & radicali, C. Ant. sine ubi, & quando actuali, & formali, N. Ant. Cum enim ubi, & quando, actualiter, & formaliter sumpta, sint modi resultantes in corpore ex mensuratione loci, & temporis, Deus potest impedire, ne resultent isti modi, remanente in corpore exigentia, & fundamento ad illos ex ista mensuratione loci, & temporis: sicut v. gr. impeditur, ne ex natura humana Christi resultaret modus illi naturalis, scilicet subsistentia. Ad axioma verò allatum, dico debere intelligi juxta communem, & naturalem rerum ordinem, vel de ubi, & quando radicaliter sumptis. Alia argumenta videri possunt in præfata nostra Dissertatione, ex qua ista excerpimus.

Petes, utrùm omnia accidentia in hoc Sacramento sint sine subiecto, an sola quantitas? R. (*Hic q. 77. art. 2. o.*) solam quantitatem existere sine subiecto, cætera verò existere in quantitate. Ratio est t. (*Ibid.*) Quia sic salvatur modus connaturalis existendi aliorum accidentium, nec multiplicatur miracula, sed sufficit, quòd quantitas existat separata a subiecto. Cætera enim accidentia connaturalitè sustentantur a quantitate, & ea mediante a substantia; unde nulla fit mutatio in illis accidentibus. 2. (*Ibid. in a. s. c.*) Quia cætera accidentia, seu qualitates, color, sapor, &c. non sunt divisibiles nisi ratione subiecti, ex se enim non habent partes, sed eas emendicant a quantitate; atqui qualitates in hoc Sacramento dividuntur ad divisionem quantitatis, ut patet ad sensum: ergo sunt in quantitate, sicut in subiecto. 3. (*Ibid. o.*) Apparet ad sensum, aliquid quantum esse coloratum, & aliis accidentibus affectum, nec in talibus sensus decipitur. 4. Tandem videmus dari commune subiectum actionis, & reactionis accidentium, quod non potest esse aliud, quam quantitas, quæ, cum sit prima proprietates substantie corporeæ, proximè accedit ad genus causæ materialis. Et hinc fit, quòd, quantumvis in Eucharistia sint sola accidentia, non tamen dicatur tantum in abstracto esse in ea color, sapor, &c. sed etiam in concreto esse coloratum, sapidum, &c. ratione scilicet quantitatis, quæ est illorum subiectum.

Obj. 2. Sensus benè dispositi circa objectum debite propositionem non fallunt; atqui sensus benè dispositi referunt, esse panem in Eucharistia, & objectum est debite propositum: ergo. R. D. Maj. Sensus benè dispositi non falluntur circa objectum debite propositionem, quod sit proprium sensibile, ut visus circa visibile, C. quod sit sensibile per accidentis, ut est substantia, N. ad cuius sensum distincta Min. N. Conseq. Non enim ad sensum pertinet judicare de substantia, sed ad intellectum; sique circa illa possumus falli, seu potius præbere intellectui occasionem errandi circa illam.

Inst. Quòd plures sensus benè dispositi uniformitè, & constantè referunt aliquid de objecto debite propositione, ita esse necessarium est; alioquin nunquam illis esset fidelium, & continuo subieceremur periculo errandi; atqui plures sensus benè dispositi uniformitè, & constantè referunt, esse panem in Eucharistia, estque objectum debite propositum: ergo. R. D. Maj. Si ratio, vel fides judicium sensuum non corrigat, C. si corrigat, N. hic autem fides corrigat judicium sensuum.

Obj. 3. Ex Eucharistia fit generatio; sensibus enim apparet ex speciebus panis quandoquæ generari, vel cineres si comburantur, vel vermes si putrefiant, vel pulveres si conterantur; atqui generatio substantialis fit ex præcæterata materia, & substantia: ergo remanet substantia panis, & vini. Itè panis Eucharisticus nutrit; atqui non nutrit ratione accidentium, aut corporis Christi, nutritio enim fit per conversionem substantie alimentis in substantiam aliti: ergo. R. (*Hic q. 77. art. 5. o.*) Generari aliquid ex speciebus Eucharisticis negari non potest, cum id ipsis sensibus constet; sed quomodo fiat ista generatio, difficile concipitur, & variè explicatur.

Quidam dixerunt, (*Ibid.*) quòd ea, quæ generantur, non fiant ex speciebus Eucharisticis, sed ex aliè circumstante, quod quidem impossibile apparet multipliciter. Quia ex eo generatur aliquid, quod prius alteratum, & corruptum apparet: nulla autem alteratio, vel corruptio prius apparet in aère circumstante, sed in ipsis speciebus. 2. Natura aëris non est talis, quòd ex eo per tales alterationes talia generentur. 3. Potest contingere, in magna quantitate hostias consecratas comburi, aut putrefieri, nec esset possibile tantum de corpore terreno generare ex aère, nisi magna, & valde sensibilis inspiratio aëris facta. 4. Licet non circumstret aër, sed species includantur in auro, vel argento, similiter fit generatio, manente incorrupto auro, vel argento.

Alii dixerunt, (*Hic q. 77. art. 5. o.*) quòd redit substantia panis, & vini in ipsa specierum corruptione; sed hæc positio Theol. Billmari Pars Iertia.

videtur falsa. 1. Quia, sicut substantia panis conversa est in corpus Christi, deberet corpus Christi converti in substantiam panis, quod est inauditum. 2. Quia non potest assignari, quando substantia panis redeat, non manentibus speciebus sacramentalibus; quia, quandiu permanent, manet corpus Christi, quod non potest esse cum substantia panis; neque iis cessantibus, quia jam substantia panis esset sine suis accidentibus, quòd non potest esse sine novo miraculo: non debet autem dici, quòd aliquid miraculosè accidat in hoc Sacramento, nisi ex ipsa Consecratione, ex qua non est quòd substantia panis redeat, & quòd subsistat sine suis accidentibus: sed debet potius, in quantum fieri potest, salvari corruptio, & generatio naturalis, prout sensibus deprehenditur. Propter eandem rationem non videtur dicendum cum Scoto, & Vazquez, novas substantias, puta vermes, cineres, &c. de novo creari, neque cum quibusdam Recentioribus Thomistis, quantitatem a solo Deo in novum compositum converti: hoc enim est multiplicare miracula, & non salvare veram generationem, quæ requirit, ut nova forma educatur de subiecto; vel saltem quòd unio formæ cum materia ab agente naturali attingatur, ut fit in generatione hominis.

Respondet itaque Auctor (*Ibid.*) in ipsa Consecratione miraculosè dari quantitatem dimensionis panis, & vini, quòd sit primum subiectum subsequentium formarum, quod est proprium materię, & ideo ex consequenti datur prædictæ quantitatis omne illud, quod ad materiam pertinet: unde quidquid posset generari ex materia panis, & vini, si adesset, totum potest generari ex dicta quantitate, non quidem novo miraculo, sed ex vi miraculi prius facti.

Sed difficultas est, utrùm quantitas gerat vices materię, non solum ad recipiendum dispositiones prævias ad generationem, sed etiam ad educationem formæ substantialis, ita ut novum compositum constet solum quantitate, & forma substantiali. An e contra, facta alteratione, & positis dispositionibus sufficientibus in quantitate ad generationem, producatur a Deo materia, ex cuius potentia educatur, & in qua recipiatur forma substantialis novi compositi? Primum tenet Ferrariensis cum quibusdam aliis, præsertim propter textum D. Thom. mox laudatum. Verum secundum est probabilius, & communius. 1. Quia de ratione compositi materialis, & substantialis physici est, quòd constet materia, & forma. 2. Quia aliis sequeretur, quòd foret perpetuum miraculum etiam extra Eucharistiam; quantitas enim illa, quæ foret loco materię in novo composito, puta vermium, existeret sine subiecto: similiter quòd novum compositum ex vermium generaretur, & sic usquè in finem mundi; non enim est major ratio de una generatione, quam de alia. Itè sequeretur: quòd vermes v. gr. geniti ex speciebus Eucharisticis essent monstra, scilicet semisubstantie, & semiaccidentia. Itè, quòd anima hominis partim nutriti ex speciebus Eucharisticis, partim informaret materiam, partim solum quantitatem, sicque esset semimihomo.

Undè ad textum S. Thom. quòd S. Doct. dicit, quòd quantitas sit *Subiectum subsequentium formarum*, intelligit de subsequentibus formis accidentalibus, seu qualitibus alterationibus speciebus consecratas, non de forma substantiali. Quòd addit: *Quidquid possit generari ex materia panis, si adesset, totum potest generari ex prædicta quantitate dimensionis*, non intelligit generationem strictè sumptam pro educatione, & receptione formæ geniti; sed alterationem præcedentem, quæ ad generationem proximè disponit. Ità intelligendum esse S. Doctorem, probant, non solum quæ mox dicebamus, sed & alii ejus textus, in 4. d. 12. q. 1. art. 2. q. 4. dicit: *Secundum quamlibet positionem oportet ponere, aliquid in hac generatione esse miraculosum, & aliquid naturale: reditus substantie, vel creatio materię, vel conversio dimensionum in materiam est miraculosum; sed quòd materia jam existens recipiat talem formam, cujus dispositiones præcesserant in dimensionibus, hoc est naturale*. Quibus aperte docet, quòd, dum generatur aliquid ex speciebus sacramentalibus, materia producatur per creationem, vel per conversionem quantitatis in ipsam, & quòd ipsa materia de novo producta sit receptiva formæ generatæ. Et hic art. 6. ad 2. dicit: *Species sacramentales non esse ea, ex quibus corpus hominis constat*. Ex dictis pariter solvitur argumentum de nutritione; quia, cum sit partialis generatio, sicut ex speciebus Eucharisticis potest aliquid generari, ita & nutriri.

Si petas, per quam actionem producatur materia, an per creationem, an per conversionem quantitatis in ipsam? R. id indecivum relinqui a S. Doct. loc. cit. in 4. & utrumque esse probabile. Videtur tamen convenientius dici, quòd producatur per conversionem quantitatis in ipsam; tum quia ex vi prioris miraculi, quo substantia panis conversa est in corpus Christi, magis connaturalitè sequitur, quòd id, quòd remanet de substantia panis, convertatur in materiam, ex qua educenda est forma substantialis; tum quia magis connaturale est, ut



subjectum, quod recipit dispositiones ad formam, convertatur in id, quod potest illam recipere. Si dicas, tunc non salvari mutationem, quam necessariò involvit generatio; cum enim secundum hanc opinionem materia tantum introducat in ipso instanti generationis, in quo forma ipsa introducit, nunquam fuit sub privatione formæ, sicut non potest mutari, seu transire de privatione ad formam. R. Quòd, cum de æquipollentibus sit eadem ratio, & idem iudicium; ut materia dicatur mutari de privatione ad formam, sufficit, quòd aliquid æquipollens materiæ, & ejus vices gerens, scilicet quantitas, fuerit toto tempore ante instanti generationis sub privatione formæ. Ità Gonet ex Joanne a S. Thom.

§. III. Solvuntur objectiones contra probationem, desumptam ex verbis Consecrationis.

Obj. 1. Quamvis sub speciebus maneret substantia panis cum corpore Christi, verò dici posset: *Hoc est Corpus meum*, ergo. Prob. Ant. Non est necesse, quòd per pronomen *hoc* demonstretur totum, quòd continetur sub speciebus; sed salva proprietate verborum, potest ex intentione loquentis determinari ad significandam unam rem contentam, & non aliam: sic verò dicitur demonstrato dolo, *Hoc est vinum*, quamvis sit cum vino in dolo aliquid aliud, puta, lapis, vel truncus: ergo. R. N. Ant. Ad Prob. D. Ant. Pronomen *hoc* potest determinari ex intentione loquentis ad significandam unam rem contentam, & non aliam, si res contenta, quam loquens intendit demonstrare, sit visibilis per propria accidentia, aut continens sit ex natura sua, vel ex usu destinatum ad illam continendam, C. secus, N. Quia pronomen *hoc* demonstrat, quòd sensibus obicitur per propria accidentia; non verò quòd latenter continetur, nisi continens ex natura sua, vel ex usu, destinatum sit ad illam continendam. Hinc, qui de pane, in quo lateret nummus aureus, diceret, *Hoc est aurum*, falsum diceret; quia *hoc* demonstrat panem, & non aurum. E contra, qui dicit: *Hoc est vinum*, demonstrato dolo, verum dicit, etsi cum vino lateat in dolo lapis, aut truncus; quia dolum ex usu destinatum est ad continendum non lapidem, aut truncum, sed vinum, & per metonymiam sumitur continens pro contento. Cum ergo in hac propositione, *Hoc est corpus meum*, pronomen *hoc* demonstrat panem, seu edulium per propria accidentia visibilia, neque istud odulum, neque ejus accidentia sint sive ex natura sua, sive ex usu destinata ad continendum corpus Christi, non potest verò dici, manente substantia panis, *Hoc erit corpus meum*.

Inst. 1. Remanent in hostia consecrata accidentia panis, item anima & sanguis Christi, item inter accidentia panis potest sensibilibus apparere permixta palea, aut capillus, atqui tamen his non obstantibus verificatur forma: *Hoc est corpus meum*: ergo, etiamsi remaneat substantia panis. R. N. Cons. Quantum ad accidentia remanentia disparitas est, quòd pronomen *hoc*, tam ex natura sua, quam ex usu, non demonstrat accidentia, sed substantiam sub illis latentem; dum enim dico, *hoc est aurum*, hic est homo, non est sensus, quòd sint accidentia auri, vel hominis, sed substantia. Si ergo remaneret substantia panis, pronomen *hoc* illam demonstraret, & sic esset falsa propositio. Quantum ad animam, & sanguinem Christi disparitas est, quòd pronomen *hoc* in hac propositione. *Hoc est corpus meum*, non designat nisi id, quòd est sensibilibus præsens, sive per proprias species, sive per verba formæ, quæ sunt signa sensibilia, & effectiva illius quòd significant. Anima autem, & sanguis Christi non sunt sensibilibus præsentibus, neque per species panis, ut patet, neque per verba formæ, quæ præcisè corpus designant. Si remaneret substantia panis, *Tò hoc* illam designaret, utpotè sensibilibus præsentem per suas species. Ad 3. disparitas est, quòd pronomen *hoc* demonstrat id, quòd principalis appareret, non autem minutiora quedam, si fortè illi permisceantur etiam sensibilibus, cum vix sit ullum compositum, cui non admisceatur aliquid minutum extranei corporis: sic, quando de pane usuali dico: *Hoc est panis*, solam substantiam panis demonstro, non verò aliquas paleas, vel aliquos lapillos, qui fortè in illo permixti apparent.

Inst. 2. Quando aurum in parva quantitate dissolvitur in majori quantitate vini, vel aquæ ad medicamentum, verò dicitur: *Hoc est aurum*, & idèd communiter dicitur, *aurum potabile*, quamvis tamen sit major & apparuit quantitas vini, vel aquæ: ergo. R. N. iterum Cons. Disparitas est, quòd ex usu communiter rebus sanatis admisceantur liquores, aut involvantur aliis rebus, ut facilius sumantur, & operentur; idque norunt homines; & idèd in his propositionibus, *Hoc est aurum*, *Hoc est medicina*, designatur res sanativa, non verò res alia, quæ tantum ad faciliorem ejus usum admisceatur, & non est sanativa.

Inst. 3. Juxta datas solutiones, etiam in nostra sententia falsa est hæc propositio: *Hoc est corpus meum*, quia species pa-

nis, neque ex natura sua, neque ex usu sunt destinatae ad continendum corpus Christi: ergo. R. N. Sequelam; quia pronomen *hoc* necessariò significat substantiam aliquam sub speciebus contentam. Si essent duæ substantiæ, scilicet panis, & corpus Christi, demonstraret panem per propria accidentia visibilia, ut dictum est. At cum in nostra sententia absit panis, sequitur quòd demonstrat corpus Christi, seu edulium, quòd erat antè panem, & in fine prolationis verborum Christi, significatum, & sensibile factum per verba Consecrationis & idèd vera est propositio.

Inst. 4. Non est impossibile, quòd sint simul in hostia consecrata substantia panis, & corpus Christi: ergo. R. Nos non querere hic, quid sit possibile: sed utrum manente substantia panis verè dicatur, *Hoc est corpus meum*; quòd negamus.

Obj. 2. & simul instabis. Hæc propositio, *Hic homo*, demonstrato Christo, est *Deus*, est vera, licet humanitas non sit conversa in Divinitatem: ergo similiter hæc, *Hoc est corpus meum*, est vera, licet panis non sit conversus in corpus Christi. R. N. Conseq. Disparitas est, quòd *Hic homo* in prima propositione supponat pro supposito, & sensus sit: Suppositum habens humanitatem est *Deus*, quòd est verum. At in secunda propositione *Tò hoc* supponit pro natura, seu substantia, & si remaneret substantia panis, sensus esset, substantia panis est corpus Christi, quòd est falsum.

Inst. Hæc propositio: *Verbum caro factum est*, est vera, licet maneat Verbum: ergo pariter hæc: *Hoc est corpus meum*, est vera, licet maneat panis. R. N. Cons. Disparitas est, quòd constet Verbum esse incapax mutationis: unde, cum dicitur *Verbum caro factum est*, intelligi non potest Verbum desinere, sed assumere carnem. At verò constat, panem esse incapax mutationis, nec posse ad se assumere corpus humanum in unitate suppositi. Undè, cum dicitur: *Hoc est corpus meum*, debet verificari per conversionem, & desitionem panis. Prima itaque, propositio, inquit Sylvius, similis est huic, *Petrus factus est doctus*, remanente Petro; secunda verò similis est huic: *Inductus factus est doctus*, mutato inducto in doctum.

Obj. 3. Sensus hujus propositionis: *Hoc est corpus meum*, est, in, vel sub, vel cum pane est corpus meum: vel panis substituitur loco corporis mei, sicut Christus dixit Joanni: *Ecece mater tua*, & matri: *Ecece filius tuus*, quia illa pro matre, iste pro filio substituebatur: ergo. R. ad 1. N. Ant. Longè enim differt unum esse aliud, & esse sub vel cum illo. Corpus est sub veste, & non est vestis; anima est cum corpore, & non est corpus; Deus est in omnibus entibus, & non est omnia entia. Ad 2. N. Conseq. Disparitas est quòd ex usu communi, quando una persona substituitur pro alia vices ejus, & munia gerens, nomen ejus obtinet, ut patet in adoptante, qui dicitur Pater. At frustum panis in nullo gerit vices, munia corporis Christi; neque usu receptum est, quòd res inanimata pro vivente substituat, & ejus nomine vocetur. Insuper hoc argumentum non favet Lutheranis, qui non dicunt panem substitui loco corporis Christi, sed esse cum corpore Christi.

ARTICULUS VII.

Varie Questiones circa Transsubstantiationem breviter resolvuntur.

Petes 1. Utràm substantia panis, & vini post Consecrationem annihilentur? R. (*Hic q. 75. art. 3. o.*) negativè. Prob. (*Ibid.*) Secundum Fidem Catholicam ex articulis præcedentibus substantia panis convertitur in corpus Christi; atqui, quòd convertitur in aliud positivum, non annihilatur, seu non cadit in nihilum, sed in istud aliud transit. Confirm. Ad annihilationem requiritur rei secundum omnes suas partes desitio per meram concursus divini suspensionem, & quòd ad illius desitionem nihil positivum sequatur, quia annihilatio opponitur creationi. Sicut ergo creatio est a puro nihilo, tamquam a termino a quo, ad aliquod ens positivum tamquam ad terminum ad quem, sic annihilatio est ab aliquo ente positivo tamquam a termino a quo ad purum nihilum tamquam ad terminum ad quem; atqui in Eucharistia, licet nihil substantiæ panis remaneat, ejus tamen desitio non terminatur ad purum nihil, sed ex illa sequitur aliquid positivum, nimirum corpus Christi: ergo.

Ad cujus majorem elucidationem observant Theologi, omnes condiciones ad veram, & strictam conversionem hic reperiri. Hæc sunt quatuor. Prima, quòd terminus a quo, & ad quem sint quid positivum: substantia panis est terminus a quo, corpus Christi terminus ad quem, utrumque positivum. Secunda, quòd terminus a quo desinat esse, & terminus ad quem incipiat esse: ita desinit esse panis, & incipit esse corpus Christi. Tertia, quòd non sit mera concomitantia, sed quædam con-

nexio inter desitionem unius, & inceptiorem alterius: & hic talis est connexio, in non necessaria secundum se, saltem ex voluntate Dei; desitioni enim panis vellet esse annexam positionem corporis Christi, idque important verba formæ. Quamvis namque hæc propositio, *Hoc est corpus meum*, secundum se, & solitarie sumpta, possit esse vera, etsi panis annihilaretur, & non convertiretur in corpus Christi; considerata tamen ut a Christo, & Sacerdote prolata, tenente, & designante panem, & dicente: *Hoc est corpus meum*, verificari non potest, nisi intelligatur, hoc, quòd tenet præ manibus, fieri corpus Christi, idèdque in illud converti. Sicut si Christus dixisset, designans hydrias: *Hoc est vinum*, verificari non posset nisi intelligendo, quòd id, quòd erat prius aqua, verum sit in vinum. Quarta conditio secundum aliquos est, ut sit aliquid commune utrique termino a quo & ad quem: & hæc etiam reperitur, quatenus eadem accidentia, quæ fuerunt in termino a quo, remanent in termino ad quem. Alii tamen hanc conditionem non reputant necessariam ad veram conversionem; quæ non est aliud, quam transitus unius rei in aliam.

Si dicas, illud annihilari, cujus nihil omnino remanet; nihil autem substantiæ panis omnino remanet, neque materia, neque forma: Responso jam data est, nempe ulterius requiri ad annihilationem, quòd res ita desinat per meram concursus divini suspensionem, ut ex ejus desitione nihil positivum resultet, quòd hic non contingit. (*Ibid. art. 4. o. & ad 3.*) Et quamvis id superet virtutem agentis naturalis, quòd non potest totam substantiam in aliam transmutare, sed formam dumtaxat, remanere immutata eadem materia, ut videre est in mutationibus naturalibus, quæ sunt tantum formales; id tamen potest agens infinitæ virtutis, quòd habet actionem in totum ens: quia utriusque materiæ & utriusque formæ est communis natura entis, & id quòd est entitatis in una, potest auctor & effector entis convertere in id, quòd est entitatis in altera.

Petes 2. Qualis actio sit Transsubstantiatio, àn adductiva, àn unitiva, àn consecrativa, àn productiva, seu reproductiva? R. 1. Probabilis non est adductiva. Est contra Scotum, Bellarm. &c. 1. Transsubstantiatio est conversio substantialis; idèd enim dicitur Transsubstantiatio, consequenter debet habere pro termino formali substantiam; in hoc enim differt conversio substantialis ab accidentalibus, quòd ista habet pro termino formali accidentis, illa substantiam; atqui actio adductiva non est conversio substantialis, quippe quæ non habet substantiam pro termino formali, sed solam præsentiam accidentalem: ergo.

Respondet P. Henno, terminum adductionis esse corpus Christi, non ut productum, sed ut introductum, hoc est ut præsens sub speciebus Eucharisticis. Sed contra Actio non est substantialis ex eo præcisè quòd attingat substantiam, si nihil substantiale producat; alioquin nulla foret actio accidentalis, cum omnes attingant subjectum substantiale formarum, quas producant. Sic v. gr. dealbatio aut calefactio esset actio substantialis, quia attingit parietem aut lignum, quòd est subjectum formæ accidentalibus, quam in illo producit. Sic motus localis Angeli foret Transsubstantiatio, quia terminatur ad ejus substantiam ut introductam, seu quatenus stat sub præsentia ad locum.

Huic itaque Responsioni non satis fidens laudatus Theologus addit, hic intervenire duplicem actionem, adductionem scilicet, & Transsubstantiationem; prioris terminum esse accidentis, nempe Christi corporis præsentiam; posterioris esse substantiam, nempe corpus Christi. Sed contra 1. Infero: ergo Transsubstantiatio non est actio adductiva, quòd intendimus. Infero 2. ergo superfluit adductio. Hoc ipso enim quòd panis transsubstantiatur, seu convertitur in corpus Christi, corpus Christi est præsens sub speciebus panis; sicutque ista responsio non solum multiplicat miracula sine necessitate, sed adstruit miraculum adductionis omnino impertinens ad rem, & vix intelligibile, quo nempe res aliqua adducatur illic, ubi jam est. 2. Transsubstantiatio est formaliter actio conversiva; atqui adductio non est conversiva, ergo. Prob. Min. Non est actio conversiva unius in aliud sine productione illius, in quod fit conversio: quid est enim convertere unum in aliud, nisi ex uno efficiere aliud? idque patet in conversionibus, quas refert Scriptura, uxoris Loth in statum salis, virgæ Aaron in serpentem, aquæ in vinum, ergo. 3. Adductio importat motum localem; motus autem localis non fit, nisi unus locus ut terminus a quo deseratur, & alter locus tamquam terminus ad quem acquiratur. Undè corpus Christi adductum de caelo, ut esset sub speciebus, desereret caelum. Quòd si non e caelo adducatur, dicant undè, cum non sit nisi in caelo.

R. 2. Transsubstantiatio non est; actio unitiva, nec consecrativa. Ratio primæ partis est; quia actio unitiva supponit præsentiam rei uniendæ: ergo corpus Christi est præsens sub speciebus per aliam actionem præviã, Ratio secundæ partis est; *Theol. Billuart Pars Tertia.*

quia conservatio nulli loco determinatè rem conservatam figit; sed ab omni loco abstrahit, permanet enim eadem creatio, & conservatio, quantumvis locus mutetur. Adde, quòd conservatio rei in loco supponat eam ibi esse.

R. 3. Transsubstantiatio est actio productiva, seu reproductiva corporis Christi, non simpliciter, sed tali modo, scilicet ex pane. Prob. 1. Pars, 1. ex SS. Patribus, qui ut patet ex articulis præcedentibus, dicunt corpus Christi fieri confici ex pane; idque Auctor specialiter probat hic toto art. 8. atqui quòd fit, quòd conficitur ex pane, producit ex pane; quid est enim fieri, & confici, quam produci? idque eo certius est, secundum mentem SS. Patrum, quòd ad hanc conversionem, seu productionem astruendam utantur jam laudatis exemplis conversionis virgæ in serpentem, aquæ in vinum, uxoris Loth in statum salis; in quibus manifestum est res produci. Confirm. S. Thom. citatus art. 8. docet, hanc conversionem in hoc convenire cum creatione, & transmutatione naturali, seu formali, quòd, sicut in creatione ex non ente fit ens, & in transmutatione naturali ex aère v. gr. fit ignis, ita ex pane fit corpus Christi; atqui in creatione verè producitur ens, & in transmutatione verè producitur ignis: ergo in Transsubstantiatione verè producitur corpus Christi. Atque hinc exploditur præsertim intelligentia Marci Serra, qui vult corpus Christi dici fieri ex pane metaphoricè, sicut dicitur Deum factum esse refugium nostrum.

At fortè oppones, S. Thom. in 4. d. 11. q. 1. art. 3. q. 1. docere hanc esse differentiam inter conversiones naturales, & Transsubstantiationem, quòd in conversionibus naturalibus mutetur, & id quòd convertitur, & id in quòd convertitur; in Transsubstantiatione autem non mutetur id, in quòd convertitur, scilicet corpus Christi; atqui mutaretur, si produceretur: ergo. R. D. Min. Mutaretur quoad esse substantiale, sicut ignis mutatur, quando fit ex aère, vel ligno, N. Est enim semper idem substantialiter corpus. Mutaretur modalitè, quia reproductur diverso modo, C. Mutationem autem substantialem intendit tantum excludere S. Doctor, non modalem.

Prob. 2. rationibus 1. Responsionis. Transsubstantiatio est conversio substantialis; atqui non est conversio sine productione rei, in quam fit conversio; & non est conversio substantialis sine productione esse substantialis, ut probatum est: ergo. Confirm. Impossibile est, aliquid esse, ubi non erat, nisi vel in eo produceretur, vel aliunde adducatur; atqui corpus Christi non adducitur in Eucharistiam, ut probatum est: ergo illic producitur.

Secunda pars Responsionis patet: quia corpus Christi supponitur simpliciter, & absolute productum ante verba Consecrationis: ergo per Transsubstantiationem non producitur simpliciter, sed secundum quid, & tali modo, scilicet ex substantia panis. Undè terminus formalis Transsubstantiationis non est corpus Christi, quatenus fit ex pane. Et per hoc solvuntur argumenta Scotistarum.

Objiciunt enim 1. Actio conversiva panis in corpus Christi supponit ipsum jam productum, & existens: ergo ipsum non producit. R. D. Cons. ipsum non producit simpliciter, & absolute, C. non producit secundum quid, & tali modo, scilicet ex pane, N.

Inst. 1. Quòd producitur, transit de non esse ad esse: ergo. R. D. Maj. Quòd producitur primò, & simpliciter, transit de non esse ad esse, C. quòd producitur iterato, & tali modo, subdividit. Transit de non esse simpliciter ad esse simpliciter, N. transit de non esse tali modo ad esse tali modo, C. Et sic corpus Christi transit de non esse ex & sub pane ad esse ex & sub pane.

Inst. 2. Transsubstantiatio est efficienter a corpore Christi ut ab instrumento Divinitatis; atqui corpus Christi non potest esse sui ipsius productivum, aliàs foret se ipso prius, & posterius: ergo. R. eadem semper solutione, D. Min. corpus Christi primò, & simpliciter productum non potest se ipsum primò, & simpliciter producere, C. non potest se ipsum secundum quid, tali modo producere, N. Et sic primò, & simpliciter productum non est prius se ipso primò, & simpliciter producto; sed tantum prius se ipso secundum quid, & tali modo producto. Habet idem esse, sed non eodem modo.

Obj. 2. ab inconveniendis. Si corpus Christi in Eucharistia producatur, seu reproductur, sequitur, 1. Hoc corpus ex pane productum non esse corpus ex Virgine Maria natum, sicut vinum ex aqua in Cana Galilææ factum non erat vinum de vite. Sequitur 2. Quòd toties annihilaretur substantia corporis Christi, quoties desinunt species Eucharisticæ, quia talis est desitio, qualis est productio, & eundem terminum habent licet contrario modo, ita ut, si productio sit substantialis, etiam desitio est substantialis. Sequitur 3. Eundem effectum produci a pluribus causis totalibus, nimirum in caelo per primam sui productionem, & in altari per actionem transsubstantiativam: itèd



per plures Consecrationes in pluribus altaribus. Sequitur 4. Quod plura accidentia solo numero distincta sint in eodem subjecto, scilicet plures actiones productivæ in eodem corpore Christi, ergo. R. Nihil horum sequi ex nostra sententia. Non primum; quia idem corpus, quod fuit primò productum ex Maria Virgine, reproductur ex pane. Nec est simile de vino in Cana Galileæ, quod fuit primò productum, ex aqua, & non ex vite, & idè non erat vinum de vite. Non secundum; quia corpus Christi non cadit in nihilum, cum alibi existat, sed tantum desinit esse sub istis speciebus panis. Tunc autem talis est desinitio, & simpliciter productæ, non verò quando est desinitio rei primò, & simpliciter productæ, non verò quando est desinitio rei de novo reproductæ, & prius existentis. Non tertium; quia, licet corpus Christi in coelo, & in Eucharistia sit idem substantialiter, non tamèn sub eadem formalitate, & eodem modo productum: unde in ratione effectus est formaliter distinctum. Quantum autem ad plures Consecrationes, cum sint tantum causæ instrumentales, non repugnat plures esse totales ejusdem effectus. Non quartum; quia plures istæ actiones productivæ non subjectantur in eodem corpore Christi eodem modo, & in iisdem circumstantiis sumpto, sed in eodem corpore diverso modo, & in diversis circumstantiis constituto, scilicet ex diverso pane, sub diversis speciebus, & in diversis locis, sicque non in eodem subjecto formaliter, sed materialiter tantum: seu, si mavis, in eodem quidem subjecto, sed æquivalentèr multiplici; quia accidentia individuantur a subjecto eodem modo, & in iisdem circumstantiis constituto.

Petes 3. Utrum abstrahendo a verbis Consecrationis possit de Dei potentia absoluta corpus Christi esse præsens in Eucharistia absque conversione panis in ipsum? R. Hac in parte divisos esse Thomistas. Capreolus, Paludanus, Ferrariensis negant, propter quædam testimonia D. Thom. præsertim in 4. d. 11. q. 1. art. 1. ubi videtur docere id implicare contradictionem, sicut si poneretur animal rationale non esse hominem. Affirmant Cajetanus, &

Soto, qui abstrahendo a verbis Consecrationis non videtur implicitantia, quod Deus producat corpus Christi in Eucharistia sacramentaliter præsens, & simul conservet substantiam panis, aut eam annihilaret. Undè ad D. Thom. dicendum, ipsum esse intelligendum in hypotesi, quæ de facto est, quod corpus Christi incipiat esse in hoc Sacramento absque sui mutatione. Hoc enim suppositum, verum est repugnare corpus Christi esse in Eucharistia absque conversione panis in ipsum, quia repugnat aliquid esse nunc, cum prius non esset, nisi, vel in se mutetur, vel aliquid in ipsum: sicut, quia Deus non mutatur, non potest esse de novo in creatura sine mutatione creaturæ. Cum ergo supponatur, corpus Christi non mutari, & aliter sit nunc, quam prius, necessario panis debet mutari per conversionem in ipsum. Ad extra præsentem hypotesin nihil repugnat, quod corpus Christi producat sub speciebus panis cum aliqua sui mutatione, non alterativa, aut corruptiva, sed perfectiva, & simul conservetur substantia panis, aut annihiletur.

Petes 4. Utrum Transsubstantiatio fiat in instanti? R. affirmative: (Hic q. 75. art. 8. o.) quia mutatio est instantanea triplici ratione. 1. Ratione formæ, quæ non suscipit magis, & minus. 2. Ex parte subjecti, quando est in ultima dispositione. 3. Ex parte agentis, quod est infinite virtutis; atqui substantia corporis Christi non suscipit magis, & minus, non est in hac conversione subjectum, quod successivè præparetur, & agens, nempe Deus, est infinite virtutis: ergo. Eodem itaque instanti, quo desinit panis, incipit esse corpus Christi; sed istud instans est extrinsecum panis, & primum ejus non esse, & intrinsecum corpori Christi, ac primum ejus esse, quia desinit panis, desinente prolatione verborum, quæ, cum sit successiva, desinit per primum sui non esse, seu per instans extrinsecum; sicque panis, & corpus Christi non sunt simul in eodem instanti, sed idem instans, quod est primum non esse panis, est primum esse corporis Christi.

DISSERTATIO II.

DE ESSENTIA, ET UNITATE, ET INSTITUTIONE SACRAMENTI EUCHARISTIÆ.

D. Thom. Quest. 73.

Aserta veritate realis præsentis corporis, & sanguinis Christi in Eucharistia per Transsubstantiationem, ad alia, quæ hoc Sacramentum spectant, & hanc realem præsentiam præsupponunt, progredimur. Dicemus itaque cum Auctore 1. de ipso Sacramento secundum se, & ejus institutione. 2. de ejus materia. 3. de forma. 4. de effectibus. 5. de recipientibus. 6. de Ministris. 7. de ritu, seu Sacrificiis.

ARTICULUS I.

In quo consistat Sacramentum Eucharistiæ?

Suppono tamquam certum, Eucharistiam esse Sacramentum: est enim signum sensibile practicum gratiæ sanctificantis permanentè a Christo institutum: Est signum sensibile per species panis, & vini: est signum practicum gratiæ sanctificantis. Joann. 6. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum. Est a Christo permanentè institutum. Luc. 22. Hoc facite in meam commemorationem. Hæc autem constituunt Sacramentum. Hujus convenientiam hanc adfert Auctor (Hic q. 73. art. 1. o.) Deus non minus providet per Sacramenta in ordine gratiæ, quam per naturalia in ordine naturæ; instituit enim Sacramenta ad vitam spirituales secundum quandam proportionem, & similitudinem ad vitam corporalem: sicut ergo in ordine naturæ ad vitam corporalem confer per generationem Parentum, vitæ illius perfectionem per augmentum, & conservationem per alimenta; sic in ordine gratiæ ad vitam spirituales nos generat per Baptismum, perficit, & roborat per Confirmationem, nutrit, & conservat per Eucharistiam.

Id non inficiantur Lutherani, & Calvinistæ, si tamèn Calvinistæ dicendi sint, agnoscere aliquod verum Sacramentum, si quidem in nullo agnoscat vim sacrificandi, sed tantum vim excitandi objective fidem, quæ justificatur. Differunt insuper a Lutheranis, quod isti admittant præsentiam realem, Calvinistæ verò spirituales tantum. Verùm, quia in hoc Sacramento duo generantur considerari possunt, scilicet actiones transientes, quorum præcipuæ sunt consecratio, & sumptio, & res permanentes, quæ sunt species panis, & vini; corpus, & sanguis Christi: Quæstio est, in quo ex his consistat Sacramentum? Du-

plici sensu movetur quæstio. 1. Utrum statim post Consecrationem sit realiter præsens corpus Christi independentè ab usu, seu sumptione, consequenter à Sacramento consistat in re permanente, & non in actione transeunte? Negant Lutherani, & Calvinistæ; ex quo inferunt, hostiis reservatis nullum cultum esse exhibendum. 2. Posito, quod corpus Christi sit realiter præsens statim post Consecrationem, & ante sumptionem, quodnam ex quatuor assignatis, scilicet Consecratione, sumptione, speciebus, & corpore Christi habeat rationem Sacramenti; quod controversitur inter Doctores Catholicos. Utramque difficultatem duplici §. resolvemus.

§. I. Utrum Sacramentum Eucharistiæ consistat in re permanente, an in usu tantum?

Dico. Sacramentum Eucharistiæ consistit in re permanente, & non in usu, vel sumptione. Est de fide decisa in Concil. Lateran. cap. Firmiter, Florent. in Decreto unionis, & Trid. sess. 13. c. 3. & 6. & Can. 4. his verbis: Si quis dixerit, peracta Consecratione, in admirabili Eucharistiæ Sacramento non esse corpus, & sanguinem Domini nostri Jesu-Christi, sed tantum in usu dum sumitur, non autem ante vel post; & in hostiis, seu particulis consecratis, quæ post communionem servantur, vel superant, non remanere verum corpus Domini; anathema sit.

Prob. 1. auctoritate, & ratione, quæ utitur Trid. Sess. 13. c. 3. cit. Tunc est Sacramentum Eucharistiæ, quando est corpus Christi præsens sub speciebus panis; atqui ante usum, seu sumptionem est corpus Christi præsens sub speciebus panis: ergo. Prob. Min. Tunc est corpus Christi præsens sub speciebus panis, quando Christus dixit: Hoc est Corpus meum, alioquin dixisset falsum; atqui hoc dixit Christus, antequàm Apostoli manducarent: ergo. Prob. Min. quam negant Lutherani. 1. Christus invitabat Apostolos ad manducandum, & bibendum hoc motivo, quòd cibus, quem offerebat, esset corpus suum, & potus sanguis suus, ut patet ex particula causali enim in forma sanguinis apud Matth. c. 26. Bivite ex hoc omnes: Hic est enim sanguis meus. 2. Quia ex eodem calice omnes successivè biberunt, ut patet ex his verbis Luc. 22. Et accepto calice gratias egit, & dixit: Accipite, & dividite inter vos: & Marc. 14. Bi-

Biberunt ex illo omnes; atqui Christus non toties dixit: Hic est sanguis meus, quoties biberunt, sed semel tantum: ergo.

Respondent Lutherani, Christum prius dedisse cibum & potum Discipulis, quàm diceret: Hoc est corpus meum, ex Matth. 26. Canantibus autem eis, accepit Jesus panem & benedixit, ac fregit, deditque discipulis, & ait: Accipite & comedite, hoc est corpus meum. Ergo erat tunc tantum corpus Christi præsens, cum comederent. Sed contra 1. N. Cons. Esto enim Christus prius dederit Discipulis cibum, antequàm diceret: Hoc est corpus meum, non sequitur Discipulos illum manducasse, antequàm illa proferret, imò contrarium certò constat, alioquin non manducassent corpus Christi, aut ibi fuisset ante prolationem formæ, sicque argumentum manet in suo robore. 2. N. Ant. Si enim ex verbis laudatis Matthæi colligeretur, Christum prius dedisse cibum manducandum, quàm diceret: Hoc est corpus meum, pariter ex his Marc. 14. Et accepto calice, gratias agens dedit eis: & biberunt ex illo omnes. Et ait illis. Hic est enim sanguis meus, concludendum foret, Christum non esse præsentem nisi post manducandum, aut esse præsentem ante prolationem formæ, ut jam modò dicebam; quod est absurdum, & non admittunt Lutherani. Fateantur ergo non ex serie sed ex sensu verborum colligendum esse, quid Christus prius aut posterius fecerit, sensus autem verborum apertè exigit ipsum ante dixisse hoc est corpus meum, quàm porrigeret Discipulis manducandum, ut constat ex probatione.

Respondent & fatentur Calvinistæ, equidèm Christum hæc verba protulisse, antequàm daret manducandum; at dicunt non esse absolutè, sed hypothetica & promissoria, scilicet Hoc est corpus meum, si manducabitis. Sed contra. Nemo non videt, hanc interpretationem esse prostrata sitam & merè ad effugiendum excoGITATAM, contortam, & textui manifestè vim inferentem. Non enim dixit Christus: Hoc erit corpus meum, si, &c. sicut debuisset, dicere, si locutus fuisset hypotheticè & promissoriè, sed dixit absolutè: Hoc est corpus meum.

Prob. 2. ex perantiqua praxi Ecclesiæ, Eucharistiam sive domi, sive in templis asseverantis, adorantis, & ad Infirmos, ac alios absentes deferentis. Hujus praxis testes sunt Justinus Martyr Apolog. 2. ubi dicit, Eucharistiam per Diaconos ad absentes perferri. S. Irenæus Ep. ad Victorem Papam apud Euseb. l. 5. Hist. c. 24. dicit, Eucharistiam transmitti ad alios in signum pacis. Tertull. l. 2. ad uxorem c. 5. hortatur illum, ne post obitum suum ducat Infidelem, & inter alias rationes hanc proferit: Non sciret, inquit, Maritus, quòd secreto ante omnem cibum gustes: & si sciverit, panem non illum esse credet quòd dicitur, id est, corpus Christi. S. Cyprianus serm. de lapsis narrat, quòd cum mulier, tempore persecutionis lapsa, arcam suam, in qua sanctum Domini fuerat, manibus indignis tentasset aperire, igne inde surgente deterrita est: Dionysius Alexandr. Ep. ad Fabium Antiochenum apud Euseb. l. 6. c. 36. scribit, Sacerdotem, ex infirmitate incedere non valentem, puero Eucharistiæ exiguum partem dedisse, præcipiendo, ut eam manducaret in os senis Serapionis infunderent. S. Basiliius Ep. 28. ad Cæsarem Patriciam refert, tempore persecutionis fideles in cryptis latitantes sportare secum Eucharistiam, quam premente periculo sumebant, & ut hunc morem propugnet, addit, eos omnes, qui per eremum vitam monasticam instituant, ubi copia Sacerdotis non competit, cum habeant Domini communionem, de suis manibus illam percipere. Concilium Nicenum l. Can. 13. postquam dixit, lapsis dandam esse communionem in exitu, addit: In summa autem de quolibet excedente, & Eucharistiæ participationem petente, cum examinatione oblationem imperitat. S. Ambrosius in Oratione funebri pro fratre suo Satyro narrat, illum fracta navi petiisse Dominicum Sacramentum, & in Orario ligari fecisse, mœque in mare se projecisse, undè favente Deo, evasit incolumis. S. Chrisost. Ep. ad Innoc. Papam de militibus ab Imperatore missis, ut ipsum trucidarent, sic scribit: Locum, in quo sancta condita servabantur, ingressi sunt milites, quorum aliquos scimus nullis initiatis mysteriis, & viderunt omnia, quæ intus erant: quin & testes sumus, quòd Christi sanguis, sicut in tali tumultu contingit, in predicatorum militum vestes effusus est. S. Cyrill. Alex. Ep. ad Calosyrium: Aliquis esse audio, inquit, qui mysticam Eulogiam nihil ad sanctificationem servare dicant, sic quid ex ea fiat reliqui in alium diem. Insanunt vero, qui hæc asserunt. Neque enim alteratur Christus, neque sanctum corpus ejus immutatur, sed benedictionis vis ac facultas & vivificans gratia perpetua in illo existit. Hieron. Ep. 4. ad Rusticum laudat Exuperium Episcopum Tolosanum, qui ob voluntariam paupertatem corpus Christi in canistro portare cogebatur: Nihil, inquit, illo ditius, qui corpus Domini canistro vimineo, sanguinem portat in vitro. Item hujus praxis testes sunt columnæ & turres aetææ vel ætemæ in templis susceptione, in quibus servabatur corpus Christi, quantum meminerunt Amphiloehus in vita S. Basilii. Greg. Turonens. l. 1.

de gloria Martyrum c. 86. Concil. Constantinop. sub Mena ann. 536. Turonens. 2. ann. 567. &c.

Tot testibus & pluribus aliis, quos, ne longior sim, omitto, victus Calvinus libr. 4. institut. c. 17. §. 39. Qui sic faciunt, inquit, id est qui servant Eucharistiam, habent, fateor, veteris Ecclesiæ exemplum. Verùm in re tanta, & in qua non sine periculo erratur, nihil tutius quàm veritatem sequi. Insolens Responsum! Quasi verò non foret tutum & tutissimum veteris Ecclesiæ ab Apostolis & Patribus formatæ vestigia premere, quàm hesternæ Novatoriensis somnia sequi. Si ita sit, concussa semel veritatis columna, nihil est, quod cuiuscumque profanæ novitati opponi possit, nosque omni vento doctrinæ circumferri necesse est. Mos autem privatim servandi Eucharistiam nunc in universa Ecclesia propter varios abusus abrogatus est. Quidam arbitrantur, abrogatum fuisse a Synodo Cæsaraugustana ann. 381. Alii volunt, hujus Synodi prohibitionem spectare tantum Priscillianistas, & hunc morem in pluribus Ecclesiis adhuc viguisse sæculis sequentibus usque ad 12. ex variis monumentis, quæ citantur apud Honorat. Tournely hic q. 4. art. 2.

Prob. 3. rationibus Theologicis. 1. Eucharistia est Sacramentum institutum per modum cibi spiritualis animæ; ergo, sicut cibus corporalis, licet ad usum sit ordinatus, est quid permanentis, habetque vim completam nutriendi ante sumptionem, sumptio autem est tantum conditio requisita ut de facto nutriat; ita Eucharistia, licet ordinata ad usum est quid permanentis, habetque ante sumptionem vim completam nutriendi spiritualiter animam, & ejus sumptio est tantum conditio requisita, ut de facto nutriat. Confirm. Res ordinata ad usum non est ipse usus, sic panis non est comestio, potentia videndi non est visio: ergo similiter. 2. Verba consecratoria efficiunt, quod significant; atqui pronuntiantur a Sacerdote ante usum, & significant esse corpus Christi: ergo ante usum efficiunt corpus Christi & Sacramentum. 3. Si usus sit de essentia Sacramenti, sequitur, quòd recipientes conficiant Sacramentum non minus quàm Ministri, manducatio enim tota se tenet ex parte recipientium. Absurdum Consequens: ergo.

Solvuntur objectiones.

OBJ. 1. Constat ex pluribus antiquis monumentis, nihil olim reservatum fuisse de Eucharistia, sed id, quod post communionem publicam restabat, vel consumi a Clericis, vel comburi, vel tradi pueris innocentibus. 1. Clemens Romanus Ep. 2. ad Jacobum Fratrem Domini relata de consecr. d. 2. c. 23. Tanta, inquit, in Altario holocausta offerantur, quanta populo sufficere debeant: quòd si remanserint, in crastinum non reserventur, sed cum timore ac tremore Clericorum diligentia consumantur. Similiter Hesychius l. 2. in Levit. Nicephorus l. 17. c. 25. & c. 2. Origenes hom. 7. in Levit. dicit, quòd panem, quem Christus dedit Discipulis, non distulit, nec servari jussit in crastinum. 3. S. Cyprianus l. de Coena Dom. dicit: Panis iste recipitur, non includitur. 4. Venerab. BeFa l. 4. Eucharistiæ historix c. 14. refert, Apostolos apparuisse puero ægro-tanti, eique dixisse, ut expectaret, donec Missa celebraretur, ut viatico corporis Domini reficeretur. 5. Concil. Cæsaraug. ann. 381. & Toletanum 1. ann. 400. prohibent, servari particulas Eucharistiæ. R. 1. hanc objectionem non impetere directè Conclusionem nostram, sed tantum secundam probationem petitam ex praxi Ecclesiæ, quæ etsi invalida foret, staret nihilominus probatio ex aliis capitibus. Sed & hæc obsecro magis nocet, quàm faveat Hæreticis. Ut quid enim tanta cura circa particulas residuas post communionem publicam, ut vel cum timore & tremore consumerentur, vel comburentur, vel traderentur pueris innocentibus, si non sint Sacramentum, nec corpus Christi continent? Item, qua fronte Hæretici obijciunt nobis testimonia, quibus probatur contra ipsos Sacrificium altaris, Missa, & Viaticum? R. 2. Testimonia, quæ pro praxi Ecclesiæ protulimus, apertiora sunt & expressiora, quàm ut his, quæ opponuntur, possint infringi; idque est mirandum & culpandum in Calvinistis, quòd Principem suum Calvinum hæc in parte oscitantia arguant, sequè ipso oculatoribus jactent. Fateatur enim Calvinus, ut vidimus, eos, qui servant Eucharistiam, habere veteris Ecclesiæ exemplum. Itaque ad singula descendamus.

Ad primum, 1. Epistola Clementis cum aliis Decretalibus veterum pontificum suppositicia nunc ab Eruditis reputatur. Vide Digress. 2. ad 1. Diss. Tractatus nostri de Jure & Justitia 2. Dato, esse genuinum, in eadem legitur: Reliquias fragmentorum corporis Domini custodire debent, ne qua putredo interveniat in sacrario, ne cum id negligenter agitur, corpori Domini gravis injuria inferatur. Sensus ergo verborum in objectione non est, quòd nihil omnino de Eucharistia reservetur, sed nihil post sepositas particulas, quæ pro Infirmis reservan-